

Nr.	Offre fides	
1.	Weidler	De homicidio.
2.	Salomo	- homicidio casuali.
3.	Crell	- delictis qua iure familiaritatis excusantur.
4.	Crell	- otii poena.
5.	Crell	Observatt. ad l. 3 ff. de bonis eorū qui ante sententiam mortem conciverunt.
6.	Crell	De delictis quibus honestum fuit initium
7.	Brunnenmann	- delicto servi corrupti.
8.	Boehmer	- muletis stuprorum.
9.	Bodinus	- poenis innocentium.
10.	Schmiedel	- Conatu.
11.	Schultz	- jure denunciat. criminalis.
12.	Schroeter	- Degradatione.
13.	Linch	- perfecutione delinquentium.
14.	Falkiner	- muletis.
15.	Falkiner	- circumstantiis.
16.	Broekelman	- innocentia in causis criminalibus.
17.	Willenberg	- innocentia per torturam surgata.
18.	Wippermann	- salvo conductu
19.	Strauss	- prescriptione delictorum.
20.	v Sanden	- correis delictorum.
21.	Scharf	- exitio.
22.	Romanus	- opulio.
23.	Romanus	- indicuus.

34.	Prefides	
22.	Rhetius	De jure hypothecae conventionalis et clan- cularia Sediner filii inscriptione.
25.	Pedester	- Securitate reorum.
26.	Pauli	- Cautionibus in criminalibus reci- pienda.
27.	Neander	- publicis iudiciorum.
28.	Lipsdorf	- appellationibus in causis criminalibus.
29.	Strecker	- minorenni in causa criminali ad pre- standum iuramentum surrogatorum sul poena confessi et convicti vite eritato et non comparante in in- tegrum respitando.
30.	Beck	- solenni fractionis baculi ritu,
31.	T. Thomasus	An omnia detecta puniantur
32.	Hellmer	- jure defensionis.
33.	Hornel	- transact. super omittenda criminis accu- satione, actori elicita.
34.	Groen	- mitigat. poena in criminis Sodomitie.
35.	Stryk	- carcere ad custodianam.
36.	Schoepf-	- confessione qualificata.

S.

B. C. D.
DISPUTATIO JURIDICA
DE
INNOCENTIA
PER TORTURAM
PURGATA,

Quam
SUB PRÆSIDIO
Viri Nobilissimi, Consultissimi, Excellentissimi
DN. SAMUELIS FRIDERICI
WIEENBERG/

J. U. D. Eiusdem ac Historiar. Prof. Publ.
& Athenæi Inspectoris,
FAUTORIS AC MODERATORIS STUDIORUM
SUORUM COLENDI,

In Auditorio Maximo

A. M. D. CCI. d. I. Decembr.

Publico Eruditorum Examini submittit

JOH. GEORGIUS SCHRADERUS, Gedan.

G E D A N I,
Typis JOHANNIS-ZACHARIÆ STOLLII,
ATHEN. TYPOGR.

VIRIS

MAGNIFICIS, GENEROSIS, MAXIMEQ; STRENUIS,

DN. DANIELI SCHLIEFF,
DN. SALOMONI WAHL,
DN. ANDREÆ BORCKMANN,

INCLUTÆ HUJUS CIVITATIS CONSULIBUS AC EX
PARTE SCHOLARCHIS GRAVISSIMIS SPLEN-
DIDISSIMIS,

Nec non

NOBILISSIMO ET CONSULTISSIMO

DN. CONSTANTINO SCHU-
MANN,

NOBILISS. DICASTERII PRIMARIÆ HUJUS CIVITATIS
ASSESSORI DIGNISSIMO,

DOMINIS, PATRONIS, MOECENATIBUS, FAUTO-
RIBUS AC AFFINIBUS AD CINERES DEVENERANDIS,

Specimen hocce ex Themidis Sacrariis depromptum in debitæ
submissionis argumentum, & ulteriore FAVORIS

Commendationem

D. D. D.

Humillimus Tantorum Patronorum
Cultor

JOH. GEORGIUS SCHRADERUS.
Respondens.

PROEMIALIA DISPUTATIONIS.

I.

TAncum ne jacturam patiamur in sequentibus, aut *Ingressus*, quæ semel possunt dici, sœpius dicantur, statim in limine Disputationis hujus paucis fundamenta quædam negotii nostri supponenda erunt, ac præmittenda generalia, à quibus ad specialiora eo felicior fieri posse progressus. Recè enim hanc methodum & in Jurisprudentia tradenda, & in alia disciplina commodissimam esse statuit Imperator in §. 2. J. de Iust. & Jur.

II. Sed è re non esse putamus, Terminorum in Rubrica exhibere significationem, qui per se sunt satis clari, ut *Tortura* & ad nauseam illorum commentaria scriberentur, vide. tamen *Questiones* Salmasius in not. ad Tertull. de pall. p. 153. Vossius Lib. 1. In distinguitur. *Definatur*. *st. orat. c. 12. §. 5.* Realem verò Torturæ definitionem qui desiderat, ea nobis est, Cruciatus membrorum suspecti per instrumenta ad hunc parata, legitimè suscepimus, ut tortus veritatem criminis sibi imputati fateatur. Mos equidem fert communis, ut & Tortura nomine Questionis exprimatur, & in lingua vernacula audiatur die scharffe Frage. Attamen hos terminos distingui & in ipsa reali acceptione diversos esse, satis apparet, cum quæstio interrogatio sit à judice adversus reum instituta, ut negando vel affirmando ad illam respondeat, tortura verò ipsa quassatio & corporis cruciatus, quo ad respondendum cogitur, diciturque propriè Germanis die Marter/ Folter/ Peinigung Dn. Huber *Prælect. Jur. Rom. Tit. de Quæst. §. 5. Eckolt ad ff. tit. eod. §. 1.*

III. Usum tormentorum licitum esse, eumque tanquam legale remedium indagandæ veritatis, absque ullo scrupulo conscientiæ à Magistratu in Republica adhiberi, existimamus, si non sine sufficientibus indiciis, moderate & humaniter suspectus, qui non alia ratione suspiciones amo-

A

liri

*Ostenditur
legalitas Tor-
ture,*

liri potest, & tantum judici præfracte negare videtur, equuleo imponitur. Veritas enim hoc modo detegitur, & ad justitiae satisfactionem fontes trahuntur, quos jam satis suspectos absolvere Reipubl. non expedit. Nec modus hic noviter excogitatus est, sed Græcis, Romanis, Macedonibus aliisque Gentibus familiaris Dn. Schilter *Prax. Jur. Rom. in foro Germ. Exerc. 49. th. 159.* ac ob parilia remedia in Veteri & Novo Testamento haut Deo inuisus, *Num. 5. v. 13. seqq. Joshua 7. v. 14. Jona 1. v. 7. Matth. 18. v. 34. Act. 22. v. 24. 29.* adeoque ob vetustatem pro lege observatus *L. fin. Vetus gal. nov. inst. non poss. & tutò etiamnum in Foris Christianorum adhibetur.* Valent. Riemer *Diss. de Jurisd. M. 3. Pos. 4. lit. c. Struv. Diss. Crim. 1. th. 16. Zanger de Tortur. Proem. n. 13. Hahn ad Wesenb. Tit. de Quest. n. 2. Ziegl. Dicast. Concl. 30. §. 6.*

Adducuntur Differenientias IV. Evidem non sunt pauci, qui hunc usum impugnant, iique tam Theologi, quam ICti. Ex illis in primis Zepperus *Explanat. LL. Mosaic Forens. L. 5. c. 10.* Dunte *de Casib. Conscient. c. 18. S. 3. qv. 18.* Meyfart in der Christl. Erinnerung wie das abscheuliche Laster der Hexen mit Ernst auszurotten c. 17. & 21. Schaller Paradox. *de Tortura in Christiana Republ. non exercenda.* Ex his vero Anton. Matth. *de Criminib. L. 48. Tit. 16. c. 5. n. 1.* Wissenbach *ad ff. Tit. de Quest. n. 13. Wesenb. in Oecon. ff. Tit. de Quest.* qui omnes tamen, censurâ rationis solidius adhibita, adversus abusum tormentorum calamum & argumenta stringunt. Supponunt illi multa crudelia, quibus ultra humanum modum & rationem corpus dilacerari putant. Injiciunt multas difficultates, à quibus tamen vacua est legitimè susceppta tortura. Hinc ad ea, quæ nobis in contrarium proferunt, etiam ex iis, quæ requisivimus ad legitimam torturam, facile responderi potest.

Respondet, ad Objectio- V. Argumentum tamen præ cæteris habet, ob quod in tota Anglia rejectam quoque dicit Torturam Thomas Schmithi,

Schmidt de Republ. Anglorum L. 2. c. 27. quod homo delatus vel nocens vel innocens appareat, & indè si prius, insigne genus fericatis esse, hominem prius per omnia membra excarnificare, & postea nihilominus damnare; sin posteriorius, non parem esse compensationem, quā ipsi de injuria & cruciatibus perpeccis possit satisfieri, unde esse satius, ut priori casu statim condemnetur, posteriori vero absolvatur. Verū negandum ejusmodi hominem dici posse nocentem vel innocentem, sed ob tam gravia indicia suspectus is est, & in statu dubio an nocens sit vel innocens, hinc per torturam elicienda innocentia sua, quam ille prætendit.

VI. Sed & ne ex ipso Iure Romano sententiaz nostræ *Respond. ad Obſt. L. 1. §.* aliquid videatur obſtare, respondeamus ad textus apparen-
ter contrarios. Ita Ulpianus fatetur: quæſtionem esse rem *23. ff. L. 17. C. de Quæſt.* fragilem, periculosaſam & quæ veritatem fallit *L. 1. §. 23. ff. de L. 8. C. de Quæſt.* Et alibi Tortura dicitur injuria corporalis, injuria *Ep. & Cler.* quæſtionis, fallax impositorum tormentorum inmanitas *L. 16. Cod.* *L. 17. C. d. t. L. 8. C. de Episc. & Cler. L. 16. Cod. Theodos. de Theodos. de Navicul.* Ad has verd objectiones ex ipso contextu & se-
quentibus Legibus responderi potest, non simpliciter tor-
turam rem fragilem aut injuriā corporalem pronuntiari,
sed ita demum, si quis hāc solā niti velit, non suppositis
legitimis indiciis & argumentis *L. 1. §. 1. ff. de Quæſt.* Si hæc
enim adſuerint, efficacissima veritatis inquirendæ ratio esse
perhibetur *L. 8. ff. eod.* Æquè ac aliàs juramentum, tan-
quam spiritualis tortura, pronunciatur, propter quorun-
dam ad jurandum facilitatem, fragile & periculosum reme-
diū, videlicet, si minus circumspectè adhibitum *L. 8. pr. ff. de Cond. Inſt.* quod tamen cæteroquin manet efficacissimus
inquirendæ veritatis modus, si requisita Legis observata
fuerint *L. 1. ff. de Jurejur.*

VII. Omnem uſum tormentorum generaliter vide. *Respond. ad*
tur prohibere Hadrianus Imp. in L. pen. ff. de Quæſt. dum L. pen. ff. de
rescri. Quæſt.

rescrit: *Questionis habenda causa neminem esse daminandum.* Verum si quis forte scrupulus posset oriri ex dicto rescripto, putamus tamen hunc sustulisse Glossam, quae de temeraria tortura, quae fit sine legitimis indiciis sententiam Imperii accipit. Id enim moris erat primum apud Graecos Herald Lib. 6. *Animadvers. c. 14.* & postea apud Romanos, qui in servos torturam exercabant, sine verecundia tormentorum usum exequi utpote qui in servos sibi tribuebant jus vita & necis simpliciter *L. 1. §. 1. ff. de his qui sui vel al. iur. sunt L. 32. ff. de R. J.* Sicut vero pii Principes hoc jus postea in illis restrinxerunt *S. fin. J. de his qui sui vel al. iur. sunt ita Hadrianus vetuit, quenquam, licet servus sit, temere ad equuleum trahere vid. L. 20. ff. de Quest.*

Et ad Nov. IIX. Neque quod ipse Justinianus vetet irrogari supplicia, quae membrorum & articulorum dissolutionem trahunt, usum torturæ tollere potest. Verba ejus sunt in *Nov. 134. c. 13.* interdicimus hujusmodi quadam inferri supplicia, per quæ articuli dissolvuntur quibus verbis prohibet, articulos & membra in poenam abscindi non debere, non vetat expansionem membrorum, quae fit in tortura moderato tractu. Illud vero ipsum tantum prohibere patet ex verbis: *interdicimus alterutras manus aut pedes abscindi.* Et postea: *Si vero criminis qualitas membra abscissionem exigat fieri, unam solum manum abscindi.* *Pro furto autem nolumus quodlibet membrum abscindi &c.*

Remissive de quibundam agitur. IX. Res ipsa de qua nobis in praesentiarum agendum, pars tantum est integrise totius materiae de tortura. Hinc a Ddos quos in sequentibus allegabimus repertendum erit, qua persona possint torqueri, quot gradus & genera sint torturæ, quam formâ ea expedienda & similia. Nos ut propositum nostrum decenter exequamur, hic prius exhibebimus innocentiam alicujus suspectam, eamq; talem, quam non nisi per torturam purgari convenient, hinc de effectu purgatae innocentiae agendum. reliquisque matens consuetatis.

Methodus obtemperatur. Methodus obtemperatur.

CAPUT

CAPUT. I.

De Innocentia Suspecta.

I.

PRIMUM est ac quasi instigante natura omnibus delinquen-
tibus commune præsidium, ut negent & aperta quoq; in-
ficien^t facinora, vel ad minimū, si forte adhuc ad erube-
scendum nati, circumstantias veras supprimant, aut fictas ad-
ducant, modo ut emollient criminis atrocitatem, aut poenæ
lenitatem provocent. Tanta verē infitionis hujus caute-
la est, ut nec ipsis causarum Patronis insolita, qui reis illorum
patrocinia implorantibus hoc tanquam Sacram Anchoram
commendant: SI FECISTI NEGA. Non ignari sunt enim,
magna esse innocentiaz præsidia, quæ Legum fulmina pellit,
jura & beneficia intacta conservat, hominemque in societate
ut dignum ejus membrum reputat.

*Reis ut vide-
antur Inno-
centes negant*

II. Atque id quidem quod intendunt, nempe innocen-
tiaz prætextum, juvant ipsa jura, quæ in dubio præsumunt, *pro innocentia*.
quemlibet esse innocentem & sine vitio: L. 5 ff. de Pœn. L. 4. C. ita,
de Edendo L. 1. & 3. ff. de Ædil. Edic̄l. L. 7. ff. de Probat. c. un. X.
de Scrutin. in ord. faciend. In primis si sine scelere vitam an-
teā egerit, cum ex vita transacta discimus, quid de vita præ-
senti præsumendum sit Alciat. de Præsumt. reg. 2. præsumt. s.
Menoch. Lib. 5. præsumt. 32. n. 1. seq. Recte olim Afinius
Pollio: quā major pars vītæ & ingenui fletit, ea judicandum de
homine est. Et Cicero in Sull. *Omnibus in rebus judices, quæ*
*graviores majoresque sunt, quid quis voluerit, cogitarit, admis-
erit, non ex criminis, sed ex morib⁹ ejus, qui arguitur est pon-
derandum.* Non ergo boni mores solum commendant, sed
etiam à criminis suspicione simul liberant. L. 5. §. 6. ff. de
Re milit. quippe ex natura in bonum conversa videntur pro-
ficiisci,

ficiisci, quæ eadem & constans esse præsumitur, & quoque postquam expulsa reversa Grot. de J. B. & P. L. 2. c. 20. S. 30. n. 3. ibid. Ziegler.

Nisi Indicia III. Verum hæc omnia eosque præsumuntur, totiesq; reddatur sū pro unoquovis in optimam partem fit interpretatio, donec contraria indicia vincant illam præsumptionem. Hæc ad contrarium credendum permovent, & innocentiam suspectam efficiunt, tantamque vim ei pro re nata inferunt, ut Judge ex officio in veritatem illorum inquire, eamque tormentis exprimere habeat necesse B. Dn. Brunnem. Proc. Inquis. c. 4. n. 2. seqq.

Quid sint Indicia. IV. Indicia ista seu præsumptiones, conjecturæ, signa, suspicione sunt argumenta fidem facientia delicti patrati. Nostratis dicuntur Argwohn/ Vermuthung. Imperatori verò in sua Nemesis redliche Anzeigung/ glaubwürdige Anzeigung/ Argwohn und Verdacht der Misshandlung art. 18.

Quæ ad ior. 19. & 22. Zanger. de Quest. & Tort. c. 2. n. 6. seq. Cramer. turam suffi. in Compend. Crim. L. 1. c. 8. n. 4. seqq. Hæc propter perplexitatem, & casuum varietatem diversa admodum sunt, & arbitriaur. ac quæ suspectum ita reddunt reum, ut possit torturæ subjici, prudentis judicis arbitrio relinquuntur. Ut tamen hoc arbitrium non sit affectatum, libidinosum aut in proprio cerebro natum, sed juridicum rationi naturali, & vel expressis Le. gibis, quæ de iis extant, consentaneum, vel sano celebriorum Doctorum & Interpretum suffragio confirmatum Oldekop. Observ. Crim. Tit. 4. O. 1. n. 10. Jodoc. Damhouder. Pract. Crim. c. 26. n. 3. Carer. Pract. Caus. Crim. de Indic. p. 90. n. 4. Jul. Clar. Pract. Crim. qv. 64. n. 13.

Divisio Indiciorum. V. Quantum tamen fieripotest, docendi gratia Dd. illa indicia quæ vel in Legibus habentur, vel prudentum calculo approbata, in certas classes distribuunt. Quod nempe alia sunt certa & evidenter, alia saltem verisimilia & probabilita.

lia. Alia deinde remota & alia proxima. Pragmatici quatuor gradus in dictorum faciunt, ex quibus quædam sunt levia, quæ tantum ad inquisitionem sufficiunt, quædam firma & propinquiora quæ capturam seu incarcerationem producunt. Alia urgentia & proxima, quæ ad torturam possunt proficere. Et alia denique urgentissima, quæ supposito legitimo processu etiam ad condemnationem sufficiunt Dn.

Tabor. *Tr. de Tortura & Indic.* ad art. 19. *Const. Crim.* §. 7. *Ad quam hi nobis respiciendum.*
Nos hoc loco sequemur illam distinctionem, quâ indicia quædam Communia omnium vel multorum criminum profertur, quædam propria seu peculiaria, quæ tantum certa delicta indicant. Utraq; autem iterum distinguntur in minus plena seu debiliora & remotiora, quorum singula per se ad torturam non sufficiunt, sed demum conjuncta cum aliis Art. 25. 26. 27. *Const. Crim.* & in plena seu proxima, quorum singula sufficientem ad torturam fidem faciunt art. 19. 20. *Const. Crim.* Stephani ad d. art. 25. Meier. *Coll. Argent.* Tit. de quest. §. 4. seqq. Hahn. *ad Wesenb.* tit eod. n. 7.

VI. Ne nos iraq; videamus de nullis dixisse, vel tantum o. *Quenam In-*
mnia ab aliis jam tradita hic repetivisse, potiora adducere lu- *dicia à nobis*
bet, eaq; quæ accurariorem præ aliis merentur observationem, hic propo-
juxta prædictam distinctionem. Et cum indicia ad torturam nunctur,
usq; gravantia supponimus, dicendum non erit de illis, quæ
sine exceptione commissi criminis fontem indicant, quippe
hæc per torturam purgari necesse non est, cum condemnatio-
*nem provocent Theodoric *Judic. Crim.* c. 9. art. 9. n. 20. Tabor.* d. l. art. 27. §. 6. *& de Confront Diff.* 2. S. 1. *Carpz. Pr. Crim.*
P. 3. q. 120. n. 13. seqq.

VII. De COMMUNIBUS iisq; MINUS PLENIS octo *Ex commis-*
species proponit Carolus V. in Const. Crim. art. 25 & seq. Ex nibus minus
illis est Primum Indictum FAMA frequens & vehemens, quæ plenis indicis
*spargitur & spirat contra aliquem commissi criminis ergo. *um est, Fama.**

Ad

Ad hanc verò requiritur ut originem sumat ab hominibus Impartialibus seu vacuis à corrupto affectu, illisque honestis & cordatis non vilibus. Fama enim in tonstrina, stabulo, aut muliercularum circulis nata, non famæ nomen meretur, sed rumoris c. 5. X. de Eo qui cognov. consanguv. Iuxor. sue L. 12. C. de Pæn. Deinde ut veram hujus indicii qualitatem habeat, probari debet ab habilibus testibus, qui efferunt se audivisse à gravibus vritis, qui fortè longè abierunt, vel qui jam vita functi, quod Titius percusserit. Huic qualificacæ famæ si suspectæ personæ vita probrosa accedit, utur per se sufficiens indicium nondum sit ad torturam, ne quidem in delicto occulto & difficilis probationis. *Anonymous Autor de Process. contra Sagas. Dub. 36.* tale tamen est, quod jungi poterit aliis Cothmann. V. 1. Resp. 12. n. 197. seqq. *Crusius de Indic.* P. 1. c. 7. n. 10. Farinac. *Prax. Crim. Lib. 1. Tit. 5. qu. 47. n. 44. 208* seqq. Zanger. *de Quæst. & Tort. c. 2. n. 30.* seqq.

*2. Locus su-
spectus.* VIII. Secundum Classis hujus indicium est *LOCUS SUSPECTUS* & ad delinquendum opportunus, in quo delatus deprehensus fuit. L. 30. §. 1. ff. de Recept. qui arbitr. recep. Per se indicium ad inquisitionem parit, conjunctim cum aliis quoque ad Torturam Tabor. cit. Tr. ad art. 25. §. 21.

*2. Situ, Po-
bus suspec-* IX. Tertium sumitur, à *SITU, POSITU ac HABITU* sumis ac *Ha- spectus* personæ. Videlicet si quidam in Loco perpetrati criminis, tempore quo patraram est, aut ante vel post in accessu vel recessu visus à quopiam, sed non sufficienter cognitus. Unde ex hoc quæri oportet, an dignosci possit nocens ex alicuius statura corporis, habitu, vestibus, armis, equo, equique colore, pedis formâ, quæ invenitur in nive, humida terra, vel pulvere ejus loci ubi delictum commissum est Stephani ad art. 25. n. 5. Gilhausen. in Arb. Jud. Crim. c. 6. P. 7. sent. 2. n. 58.

X. *Quæ-*

X. Quartum indicium est *FAMILIARIS CONVERSA.* 4. *Familiaris TIO CUM FACINOROSIS* quæ justam & probabilem causam non haberet, & conversans sciverit, eum, cum quo familiariter vixit, maleficum ejusmodi esse. Hujus indicij ratio patet, ex vulgata paroemia: *Noscitur ex socio qui non cognoscitur ex se*, quippe ex mala conversatione cum facinorosis etiam boni mali ac pernitosi efficiuntur *Prov. 13. v.* 20. *Psalm. 18. v. 26.* L. 25. §. 6. ff. de *Edil.* *Edit.* *Carpz.* qu. 120. n. 35. seqq. *Meier Coll. Arg. Tu.* de *Quest.* §. 6. n. 5. Posset videri hoc indicium per se sufficiens ad torturam ex art. 44. *Conf. Crim.* dum ibi conversatio cum magis sufficiens ad infligendam torturam indicium esse reputatur. Verum non usque certum est, utrum in *vers. d. art. auch sone* derliche Gemincschafft novum, distinctum & per se sufficiens requisitum, an verò declarativum tantum & conjungendum cum prioribus proponatur, ut scilicet is, qui jactat doctrinam magicam vel minatur fascinationem talem, serio & tum demum egisse vel sensisse videatur, si cum beneficiis peculiarem societatem habuerit, & ut in fine art. sequitur de magia alias infamatus sit. Nam observandum, Imperatorem in distribuendis Magiæ Indiciis uti particula distinctiva *Oder* / in declarandis autem requisitis illis uti particula auch / quæ suâ naturâ non est distinctiva & diversificativa, sed connexiva & complexiva *Tabor add. art. 25. §. 25.* *Crusius de Indic.* P. I. c. 8. *Observ. n. 7.*

XI. Quintum Indicium, quod innocentiam gravat est 5. *Inimicitia INIMICITIA* quam quis cum Occiso aluit, nec non *MINÆ* ac *Minæ* quas illi struxit. Hic in primis Judex advertere debet inimicitiae qualitatem, an orta super magna facultatum substantia, vel ex spe hereditatis, dignitatis, muneris vel alias commodi *Clarus lib. 5. §. fin. Pract. Crim. qu. 21. n. 30.* *Fachin lib. 9. Contrev. c. 82.* *Menoch de Præsumt. qu. 89. n. 50.* Nec

B

non

non sollicitus esse debet, ut de minante ipsi certius consternum is alios quoque offendit, & inimicos habuerit, an occisus præter minantem etiam alios hostes habuerit, qui possent se hac occasione impunes vindicare. An sedato animo, an verduribundo, aut iracundia æstu minas spiraverit. Nam multi reperiuntur homines etiam non mali, quibus in usu est, impotenter evomere multa minarum fulmina, ut solius linguæ suæ telo omnem injuriam avertant. Quibus longè pejores sunt, qui callidè tegunt, & dissimulant malum, quod prima occasione incautis inferunt. Hinc in omnibus hisc discernendis prudentiæ Judicis opus est Oldekop Observ. Crim. Tit. 4. O. 7. n. 4. Carer Praet. Crim. Rubr. de Indic. S. Duodecimum indicium Boer Decis. 106. n. 3.

*6. Inculpatio
Læsi*

XII. Sextum generale indicium est INCLUPATIO LÆSI morte vel juramento confirmata. Quamvis enim non omnis moriens sit Johannes Evangelista & veritatem loquatur, siquidem & morientes habent affectus humanos Menoch de Presunt Lib. 5. presunt s. n. 19. & de A. J. 2 Casu 99. n. 30. Perez ad Cod. tit. de Quest. n. 16. cum tamen major pars hominum non præsumatur in ultimo vitæ articulo facile animam gravare velle L. ult. C. ad. L. Fal. Repetund L. s. C. Fam. ercise. non planè temeraria videtur illa Inculpatio. Sed sola ad torturam non sufficit, quia hic in propria causa testimonium perhibetur, quod in alterius damnum plenam fidem non meretur Farinac qu. 40. Zoef. ad ff. Tit. de Quest. n. 24. Zanger d. l. n. 59.

7. Fuga

XIII. Septimum indicium præbet FLIGA. Circa quam considerandum ante omnia constare debere i delictum aliquod commissum esse 2 personam quandam abiisse, & quidem 3 sine causa admodum celeriter, eamque personam 4 de crimen suspectam, ceterumque improbabilem vitam esse. Fuga enim fugientem accusat & in suspicionem fœle-

sceleris adducit L.3. §.7. ff de Re milit. L.7. §.2. ff. de Suspect. Tut.

Nov. 53. c. 4. §.1. quippe proprium reorum esse solet fugere
L. ult.. §.3. C. de Bon. qua lib., L.2. pr. & §.1. C. de Jurej. propt. cal.

Theodoric Judic. Crim. cap. 9, aph. 9. n. 25. Carpz. d. l. n. 60.
Ipsa tamen fuga iterum per se non est sufficiens indicium ad
torturam, licet incarceratus effraetō carcere sese proripue-
rit. De quo ultimo casu tametsi dubitet, quin planè con-
trarium defendat Carpz. d. l. n. 65. quod, quia suspectus ad torturam
non sine indicii incarceratus, si hæc concurrant cum fuga,^{seqq.}

conjunctionem adversus ipsum torturam provocent. Quoni-
am verò non sine causa potuit fuisse fuga suscepta, utpote
ob carceris qualorem, molestiam, vexationem, ignominiam,
quæ quisque probus horret, etiam fuga ex carcere non
potest majus indicium dare. In totum ab hac præsumtio-
ne se liberare potest, qui, postquam carcere elapsus, se statim
obtulit superiori cum quærela passi ab inferiore judice gra-
vaminis Tabor d. Tr. ad art. 25. §. ult. Conf. Crim. §.13. seqq.

Oldekop d. l. o. 8. Zoef. d. t. n. 19.

XIV. Octavum & ultimum communium minus pleno- 8. Lis de
rum Indiciorum profert Imperator Carolus V. art. 26. Conf. Maxima
Crim. quod sit LIS DE MAXIMA PARTE BONORUM, quæ parte bono-
ided, quandò collitigator occisus reperitur, suspectum al-
terum arguit, quod, qui cum aliquo de maxima portione
bonorum contendit, pro malevolo & insigni inimico ad-
versæ partis habeatur. Sed ne hoc indicium idem videatur
cum quinto esse, ab eo ita differt, quod præsens quodam-
modo sit specialius, intuitu scilicet litis de maxima fortu-
narum parte exortum.

XV. Atque hæc indicia sunt illa, quorum citato loco *Junguntur*
in specie mentionem facit Imperator. Pertinent verò ad dictis Indiciorum
eandem classem plura, ex quibus adhuc quædam prolatis *Natio mala*
illis jungere lubet. Sic ex NATIONE MALA indicium vi-

tiorum oritur, quæ illi Nationi connata & communia arg.
L. 31. §. 21. ff. Ædil. Edict. L. 50. §. 3. ff. de. Leg. 1. Cum enim una
gens altera callidior, una furtis, rapinis, veneri, alia benefi-
ciis, fortilegiis, perfidiæ magis magisque dedita, ex Gente
tali si fuerit suspectus indicium nasci potest. Contra Ju-
dæos ergo in delictis blasphemiae aut usurariæ pravitatis ut
plurimum præsumitur. Contra Italos in delictis carnis ac
veneficio, & ita in aliis Nationibus ex indeole illarum pa-
riter Crus. de Indic. P. 1. c. 23. ibique Observ. Cothmann. Vol.
3. Resp. 29. n. 4118. seqq.

*Mala Physi-
ognomia.* XVI. Depromitur indicium ex MALA PHYSIOGNO-
MIA quæ quasi animi character est, qui ad quæ affectuum
genera propendet, ex illa aperitur & proditur, juxta illud:

Heu quam difficile est crimen non prodere valens

Cum tamen sapissimè natura correcta sit disciplinâ &
arte, ejusque abdita accurata & perversa simulatione te-
gantur, dubium non est, quin hoc quoque indicium fal-
lat, ac ideo non nisi minus plenum sit Henric. Bocer. de
Quæst. & Tort. c. 3. n. 78. Gilhausen in Arb. Jud. Crim. c. 6.
Prava Cor. p. 7. §. 2. n. 71. Cum hac concordat PRAVA CORPORIS CONSTI-
TUTIO, qui aut bona Corporis Compages animæ laren-
tis bonitatem, sic mala alicuius animi malitiam præ se fert.
Sunt noti versus Andr. Gailii Epigram. ad Sartorem quen-
dam,

Panper es, & Sartor, ssabiosus es & pede sardus
Lucus es & Rufus, qui bonus esse potes?

Scilicet natura membra componit, prout motibus ani-
mæ competit ex Galeno de Temperament. 2. c. 6. Crisius d.
l. c. 22. n. 8.

*Variatio ser-
monis.* XVII. Parit parile Indicium VARIATIO & inconstan-
tia SERMONIS, quando suspectus de veritate facti interro-
gatus, variasse & mendacium dixisse deprehenditur. Æquè
verò

verò existimamus an variaverit circa circumstantias facti, an circa principale negotium, ut illorum Ddum. sententiam improbemus, qui vel simpliciter hanc variationem, vel illam quæ fit circa principale negotium ad torturam sufficiens indicium esse, statuant Theodoric de *Judice Crim. c. 9. aph. 9. n. 24.* De vita enim hominis hic agitur, & res periculosa tortura est, hinc plus quam solum hoc indicium requirit. Nec majus, sed simile tamen indicium est *TITLBATI* *suspecti*, quæ reum conscientiam arguere videtur ejus *Tributariorum* *surpititudinis*, quæ imputatis actionibus ineft *L. 10. §. 5. ff. de* *stetit.*

Quest. Zanger d. l. n. 37. Crusius P. 1. c. 13. ibique observ.

XIX. Ex prolatis & aliis similibus indiciis nullum quod- *Plura horum indiciorum concurrere debere, constans est Ddum sententia ob rum concur-*
liber per se ad torturam sufficit, sed ut hæc dicterur, plura rum indicio-
horum concurrere debere, constans est Ddum sententia ob rum concur-*art. 27. Conf. Crim. Damhouder Prax. Crim. c. 36. n. 28. vere debens.*
Carpz. qv. 123. n. 36. Simon van Leuwen in Censura Forensi
P. 2. Lib. 2. c. 8. n. 11. Carer. Pract. Crim. Rubr. de Indic. §.
Sed an unum n. 2. Huber in Praelect. Jur. Rom. Tit. de Quest. n. 4.

Quot tamen numero illorum esse debeant, non satis expe- *Quot numerus illorum*
ditum? ac duo quoque sufficere visum est quibusdam *arg. ro* *illorum*
L. 12. ff. d. Testib. ubi pluralis Locutio, quæ d. art. 27. & L. 18. §. 1. ff. de Quest. reperitur, duo-
§. §. 1. C. L. 1. §. 1. & 4. L. 18. §. 1. ff. de Quest. reperitur, duo-
rum numero contenta est Hahn ad *Wes de Quest. n. 7.* Ve-
rū nos existimamus, omnem horum indiciorum qualita-
tem probè à judice estimandam esse, ut nunquam unum il-
lorum, nec tamen semper duo ad torturam sufficere statuat,
sed demum illa pro sufficientibus reputet, si consonantia
sint, seu semper invicem non destruentia, aut in suo genere
imperfecta. Quod quoque Carolus V. Imp. in d. art. 27.
non obscurè desiderat, quoniam ita demum, quæ singula
non profundit ad movendum judicis animum, juncta cum
commovent, si singula non vitiosa & imperfecta, quia talia

XXX

B 3

nun-

nunquam ad constitutionem perfecti possunt proficere *L.*
s. 6. C. de Prob. Cothmann, Vol. 3. Rep., 29. n. 413.

*Quid sint
Communia
plena Indi-
cia?*

XIX. Nunc de COMMUNIBUS sed PLENIS Indiciis agendum nobis, quæ hujus sunt naturæ, quod quodlibet illorum tam grave sit & urgens, ut innocentiam aliquius ad torturam usque oneret. Imperator illa indicat per terminum redliche Anzeigung art. 19. *Conf. Crim.* quasi sint legitima, inferentia ac concludentia indicia, quæ instruunt religionem Judicis. In facti enim quæstionibus Judex statuere, & judicare debet, ut religio sua suggerit *L. 79. §. 1. ff. de Judic.* Et licet in artic. 20. d. *Conf.* non unum ex his sufficere, sed & plura ad torturam videantur requiri; ista tamen pluralitas neutiquam ad numerum, sed ad actus futuros respicit, ut si repertum indicium debilitare incipiat, ex alio de suspecti inculpatione judicetur. Velut in parem modum Jure Romano pluralitas accipitur *L. 1. in f. ff. Qui satisd. cogunt L. 148. ff. de V. S. L. 33. §. f. ff. de Cond. & Demonstrat.* Unum verò indicium ex horum nunc recensendorum numero torturæ dictandæ sufficere, patet ex art. 29. *Conf. Crim.* ibique Stephani. Jul. Clar. Sentent. lib. 5. §. fin. *Qu. 84. n. 14.*

*Inter hec
sunt Inven-
tio rei suspe-
cti in loco
patrati Cri-
minis.*

XX. Estque ergo ex his species INVENTIO REI SUSPECTI IN LOCO PATRATI CRIMINIS v.g. si vestis alieni in loco cuius, baculus, gladius, armilla vel alia similis in loco commissi delicti inventa sit. Ex barum enim inventione præsumitur delictum nedum commissum, sed etiam ab eo, cuius istiusmodi res fuit *Genes. 38. v. 18. & 25.* Facto verò proprius est hoc indicium, quam illud quod supra §. 9. b. cap. propositum, quia id saltem indicabat, quo habitu vel armis quis visus fuit, eundo vel redeundo quo facinus perageretur, hoc verò instrumentum indicat, quod in ipso facinore amissum est *Carpe. qu. 121. n. 4.*

XXI.

X XI. TESTIS UNICUS SUPER IPSO DELICTO FIDEM *Testis unicur
Super ipso de-
licto iehans.*
FACIENS indicium quoque præbet sufficiens ad torturam
art. 30. Conf. Crim. Huic sententiæ equidem obsistit Jus
 commune, quod unico testi fidem negat, licet prætulgeat
 præclaræ curiæ honore, *L. 9. §. 1. C. de Testib.* & in specie
 quæstionem de ancilla ex unius testis depositione habitam
 improbat *L. 20. ff. de Question.* Verum distingvi oportet inter
 probationis effectum plenum & minus plenum. Unus testis
 non operatur plenam probationem, ut judex ejus depositioni
 de crimine commisso plenè assentiat, non tamen unius
 testis testimonium nihil operatur, ut ne quidem de-
 super, quod talis testis proximè imputavit suspecto, hic in
 subsidium per tormenta interrogari possit. Ratio tamen
 habenda in qualitate testis & testimonii dicendi, ut ille sic
 testis omni exceptione major, ac deponat de actu immedi-
 ato seu facinore ipso, suæque assertionis rationem reddat
 per sensum corporeum rei convenientem, quod nempe
 ipsem delictum viderit ab inculpato perpetrari, quod præ-
 sens ei interfuerit, & ut hæc omnia proferat non verbis,
 ambiguis sed dilucidis & indubitatis *Tabor de Tort. & indic.
delict. ad d. art. 30. Cruf. de Indic. L. 1. c. 4. Farinac. qu. 37.
n. 41. &c. 56.*

X XII. Provocat Torturam CONFESSIO SUSPECTI *Confessio sus-
pecti extra
judicialis.*
EXTA JUDICIALIS per iactationem aut coram incompeten-
 te judice facta. Ad hanc requiritur ut 1 sit specialis de cer-
 to aliquo delicto, certo homine & loco 2 ut suspectus sit
 persona, in quam suspicio criminis facilè cadere potest, & 3
 ut seriò, quo fortis vel audacis viri opinionem venetur, de-
 lictum se perpetrasse dixerit, non etiam si dixerit per jocum
 aut ex iracundia *Carpz. qu. 127. n. 41.* Sub hisce requisitis
 istiusmodi iactationes hunc effectum pariunt, quæ alioquin
 inanes reputantur *L. 225. ff. de V.S.L. 9. C. de His que vi met.
caus.*

XXIII.

*Nominatio
socii Crimi-
nis.*

XXIII. Oritur etiam sufficiens indicium ad torturam socii Criminis ex *NOMINATIONE SOCII CRIMINIS* justa & legibus qualificata. Talis verò est, quæ adminicula in Sanctione Carolina expressa habet conjuncta, nempe si 1. sit reus de sociis interrogatus à judice in ipsa tortura ingenere & non de certo individuo L. i. §. 21. ff. de Quæst. ac tunc nominatio facta quoque in tortura. Nam si spontè nominatus socius, nominatio illa non est legitima & si facta interrogatio de omnibus circumstantiis, de loco, de tempore, quo socius auxilium præstavit, aliisque similibus & si judex inquisiverit an reus cum eo quem socium dixit, iniurias, jurgia vel lites aluerit, vel an alia offensionis inter eos causa fuerit ut nominatus quoque sit judici suspectus de crimen cum complice reo commisso & ut reus in ista nominatione perseveraverit, nec eam revocaverit art. 31. *Conf. Crim. Zanger de Tort. & Quæst. c. 3. n. 17. seqq.*

*Sequuntur
Indicia pro- & minus plenis.
PRIA CERTORUM CRIMINUM*

XXIV. Et hucusque de Communibus Indiciis plenis Indicia pro- & minus plenis. Lustremus nunc quædam indicia PROPRIA certiorum CRIMINUM quæ iterum sunt vel plenum criminis, quorūmquodlibet commissum crimen ita indicat, ut non nisi torturā, si opus, declinari possit, vel minus plena, quorum singula non ita crimen indicant, sed demum conjuncta cum aliis. Nos conjunctim de his sub quovis delicto agemus, ita tamen ut quale plenum vel minus plenum sit, non obscurè significemus. Inter delicta verò gravissimum

*Indicia Cri-
minis lese
Majestatis.*

suarum specierum, de quibus agitur L. i. & seqq. ff. ad Leg. Jul. Majest. add. Theodoric Judic. Crim. cap. 5. aph. 3. seqq. diversimodè indicatur. Ex multis indiciis prostant, si litteræ proditoræ penes suspectum inventæ, factiones in Rempublicam agitatæ, deserta statio & militia in acie, Transfusus

situs & deportatio annionꝝ, commeatus ad hostes, quod sub pœna capitali prohibitum *L. 1. C. de Commentu Lib 12.* omissio formandæ aciei appropinquante hoste, inhibicio pugnæ ubi pugnandum est necessariꝝ, non necessaria Salvæ Guardiæ recepcion, dimissio militum veteranorum & alia; unumquodlibet horum ad torturam sufficit. *Crusius P. 20. c. 6. n. 16. scqq.*

XXV. Commissi *ADULTERII* Indicia plena sunt, *Indicia Adul-*
si mas aliquis & uxor aliena in ipso naturali & reali adulteri-*terii.*
tino coitu prehensi, vel vir solus cum sola uxore aliqua
reperiatur in cubiculo clauso ad coitum dispositus & resolu-
tis caligis *Carpz. qu. 122. n. 70.* *Zanger d. l. n. 73.* Sipenes
uxorem, vel eum qui cum illa uxore adulterium commis-
sisse suspectus est, inveniantur literæ amatorizæ, ex quibus
sufficienter delicti confessio constat *Mascard de Prob. Concl.*
57. n. 6. & 7. *Bocer de Tort. c. 3. n. 113.* Minus plenum est
quando mas cum alterius uxore solus visus fuit per nemora
& vias occulcas spatiari, ac simul ipsam exosculari, tactu-
que lascivo circumPLICARE *c. 12. & 13. X. de Presunt.* Non
etiam si solum vidi se invicem exosculari, quod oscula si-
gnificationis dubiaz sint. Qua ex causa non potuit non
durum censeri factum *Publili Mewii*, qui libertum, alioquin
sibi gratum, eo quod filiam suam, jam nubilem & formo-
sam virginem exosculatus esset, miserè enecuit *Val. Max.*
L. 6. c. 1.

XXVI. De *HOMICIDIO* graviter suspectum arguunt, *Homicidii,*
qui eo loco & temporis momento, quo homo interfectus
dicitur, aut prope illum visus cum gladio aut vestimentis
cruentatis, stupefactus, tremens & pallidus. Si aliquas res
interempti apud se habuerit, eas distraxerit, donaverit,
retinuerit &c. *art. 33. Conf. Crim. ibique Manz. Simon van*
Leeuwen Censura forensi P. 2. L. 2. c. 8. n. 13. Si item suspe-
ctus

Etus homicidium, sed ad sui defensionem confessus sit, quæ confessio cum qualificata sit, nec ad supplicium sufficiens, judex per tormenta in veritatem inquirere poterit Carpz. d. l. n. 7. Brunnem. Proc. Inqu. cap. 8. M. s. n. 3.

XXVII. INFANTICIDUM produnt, si virginis ute-
*Infanticidi*rus successivè intumuit, & mox macer & lividus existat, si-
mulque tamen honestæ obstetrices vel marronæ per itæin-
specta muliere referunt, & jurato attestantur, non modò
virginem non esse, sed etiam peperisse, eamq; de lascivavita
suspectam esse art. 36. Conf. Crim. Indicium est hujus criminis
sufficiens, quando mulier continuè graviditatem celans,
peperit remotis mulieribus, & infantem in partu periisse
afferit. Quando, cum ventrem exonerasset, partum in
latrinam decidisse perhibet. Si ante partum visa pugnis vel
verberibus afficere comprimereque ventrem Crus. P. I. c. 34.
An idem sit indicium, si Lac in mammis virginis repertum?
haut tuto statui potest, quia ex naturali, ratione id quoq;
in non prægnantibus reperiiri potest Paul Zach. Quest. Med.
leg. Lib. tit. 3. qu. 1. n. 20. seqq. Si tamen præter lac inspe-
ctis genitalibus corporis partibus obstetrices afferant, re-
cens peperisse mulierem, ad torturam indicium erit art.
30. Conf. Crim. ibique Stephani.

XXVIII. Indicia VENEFICII quod fit veneno malo
Veneficii hominem occidendo sunt, si suspectus venenum emerit
aut præparaverit, & veneno extinctus reperiatur ille, qui
cum eo inimicus erat, aut in cuius hereditatem ille succe-
sionem speraverat, & alioquin is homo insignis turpitudi-
nis fuerit. Cognatum est indicium, si quis venenum e-
merit aut ipse præparaverit, vel herbas venenosas colle-
git, quales sunt napellus, aconitum, pituocampas aut bu-
brostis, mandragora, & id quod lustriamenti causa datur
cantharides, aut similes L. 3. S. 3. ff. ad. L. Corn. de Sicar. &
judici

judici pro tribunal iudicandi id ipsum iniiciatus fuerit art. 37.
Const. Crim. Oldekop Tit. 4. c. 3. n. 3. Gilhausen in *Arb. Judic. Crim. c. 6. p. 7. n. 86.* Si occisus sit, in quo inordinatas concupiscentias stimulare aliquis voluit, seu poculum amoris propinare conatus fuit *L. 38. §. 5. ff. de Pan. L. 4. C. de Malef. & Mathem. Cris. d. l. cap. 31. n. 13.*

XXIX. Cruentationem Cadaveris inter indicia homicidii sufficientia referunt quoque aliqui, si in conspectu suspecti ex naribus, oculis vel aliis partibus corporis fluxit sanguis imperfecti. Existimant antipathiam esse hostilis ac micidit indi-vehementis odii occisi in occisorem, quod tanquam latens *cium si?*
 & arcana qualitas impressa corpori tempore cædis causatur
 & efficit, ut in præsentia occisoris moveatur & resolvatur sanguis ac fluat ex occiso. Vel miraculum Divinum ostentari jactitant, quod sanguis occisi clamat è terra ad Deum *Genes. 4. v. 10.* Ex adverso alii non sine causa judicant, posse sine ullo prodigo existere, ut manet etiam post aliquod tempus ex mortuis crux, si aliquo morbo suffocante perierint, puta apoplexia, phrenetide aut alio simili, quod ob hunc sanguinis in venis delitescat, & moto postmodum corpore erumpat *Paul Zach. d. Tr. Lib. 5. Tit. 2. qu. 8. n. 25.* Quamobrem nos putamus, licet in præsentia suspecti corpus imperfectum crux emiserit, aut sanguine perfusum fuerit, id ipsum tamen sufficiens indicium non esse ad torturam, quia Judex nulla ratione penetrare potest, quare sanguinis fluxus verum occisorem indicare valeat. Quod verò Judex ratione humana assequi non potest, illud nec admittere debet, quia judicis est saltēm judicare secundum intellectum, qui in hominem cadit *Bocer. de Tort. c. 3. n. 21. Ant. Matth. de Crim. lib. 48. Tit. 16. c. 3. n. 12.* Oldekop *Observ. Crim. 2. Tit. 2. Carpz. qu. 122. n. 30.* Zoef. *ad ff. Tit. de Quest. n. 37.* Cæterum hoc indicium ad id professe potest, ut judex de

pluribus indagandis indicis sollicitus sit, & graviter suspicuum admoneat de confitendo, utque ipsi ob oculos ponat, hoc signum etiam se reluctante adversus ipsum exsurgere, & vindictam ab ipso exposcere, utq; diligenter inspiciat vultum ejus, quā facie cadaver tangat, aut tactum aspiciat. Hisce enim monitis & observationibus sāpē detecta veritas, & suspecti ad fatendum commoti, ceu patet hoc ex memorabili casu, quem refert Illustr. Dn. Stryk de Jure Senf. Diff. 7. c. 3. n. 5.

Sorilegiū. XXX. Ob *SORTILEGIUM* suspectus fit, qui ad docendum incantationes alios se obtulit, qui minatus est alteri fascinationem, & minas insolitus ac prodigiosus eventus fecutus sit, qui frequenter ac familiariter cum magis converfatus fuit. Indicat Sortilegium, si penes suspectum reperta venena mala, olla impleta bufonibus, hostiis, membris humanis, si inventi libri magici, vel instrumentum obligationis, mutuique inter suspectum & diabolum pacti ab eo scriptum, subscriptum vel subsignatum. Si probetur effossum fuisse domus limen, stabuli, inibique defossum venenum quo homines aut pecudes interficerentur fuisse repertum art. 44. *Conf. Crim. Zanger d. l. n. 71. Carpz. d. l. n. 16.* Si liberi vel infantes ad manus matris de neficio suspectæ occisi, si usum spirituum familiarum adhibuisse constet Berlich. P. 4. *Concl. 4. n. 149. Crus. cap. 32. n. 11.* Si stigmata in locis abditis reperta, sub palpebris, labiis, axillis, humeris, aut partibus corporis secretioribus, & formam quandam referant vestigii leporis, pedis bufonis, araneæ, catelli, gliris aut alterius animalis. Quanquam circa hæc stigmata judici admodum cautè verlandum sit, ne indiscretè omne istiusmodi signum pro infallibili sortilegii nota estimet, quia & naturaliter fieri potest, ut ex ulcere aut aliundè alicui simile stigma impressum sit Schröter *Disp. de Lamiis c. 8. §. 9.* Autor *Anonymous de Process. contra Sagas. Dub. 43.*

XXXI.

XXXI. An Supernatatio Suspectarum Veneficarum in *An superna-*
Flumine, quæ dici consuevit Proba per aquam frigidam sufficiens indicium sit ad Torturam & hic lubet despicer? *tatio Suspe-*
solent enim quæ de Magia suspectæ sunt per lectores ita col-
ligari, ut pollex manus dextræ magno finistro pedis digito, indicium ad
& pollex manus sinistræ digito magno pedis dextri trans- toruram.
versè funibus adstringatur, & ita mulier constricta in aquam
supina imponatur, ut faciem ventremque habeat cœlum
versus spectantem & dorso suo aquæ superficie incubet,
quæ si non submergatur, pro saga habetur, si verò in
fundum feratur, dimitti solet Nicol. Brandt de legit Sagas
convincend. rat. p. 2. th. 32. Qui contendunt hoc signum
Magiz esse, ea ratione utuntur, quod dæmon latente qua-
dam vi sua levitate corpora talium in aqua sustentet, & quod
aquis antipathia quædam à DEO insita, qui creavit eas in
instrumentum Salutis humanæ, atq; ita simul inseruit odi-
um adversus illas, quæ salutis spem oderunt, ut injectas
non recipiant, sed respuant. Verùm futiliores sunt hæ ra-
tiones, quām ut huic indicio fidem faciant. Contra pri-
mam enim indubitanter constat, Diabolum potius veras
sagas suppressurum, ut eas sibi servet, quām liberaturum esse,
ne pœnitentiâ ab infernali orbita trahantur. Altera æquè
absonta, nam non in aqua, sed aqua cum verbo Dei con-
juncta vis omnis baptismi consistit vid. summè Reverend. Dn.
D. Schelvgig in Cynos. Conscient. qv. 27. Nec aquæ proprium
est, ut dignoscat an pactum SS. Baptismi violatum nec ne.
Quare si Judex huic Probæ unicè fidem dederit, & suspe-
ctam ad torturam condemnaverit, iniquè eam intulit Del-
Rio Disquisit. Magic. Lib. 4. qv. 5. Sect. 1. 2. 3. Binsfeld de Con-
fess. Malefic. M. 2. Concl. fin. dub. 1. Damhouder Pr. Crim. c.
43. n. 2.

Incendi.

XXXII. Suspectum de *INCENDIO* reddunt, qui pau-
lò antequam incendium ortum materias ignem occultum
diu foventes aut facilè concipientes ut picem, pulverem
pyrium, fomites &c. tractare visus fuit. Præparatio enim
& ordinatio hujusmodi valdè suspecta est, indicans incen-
dium præcogitatum art. 41. *Conf. Crim.* Et minæ quo-
que à levioris notæ homine Er wolle ihm einen rothen
Hahn auf das Haus segen incendium paulò post secutum
indicant Damhouder d. *Tr. c. 103. n. 10.*

Falsi.

XXXIII. Ut *FALSI CRIMEN* variis speciebus conspi-
citur, ita nec omnium est capitalis poena, neq; pro qualibet
eruenda tortura dictatur. De ejus Falsi indiciis, quod
potest capitaliter puniri hic tantum agendum est, estque cri-
men falsæ monetæ, quod ab eo commissum esse præsumitur,
qui falsam monetam expendit, aut instrumentum ad monetas
cudendas idoneum penes se habuit *Carpz. d. qu. n. 84.*

*Furti Rapi-
ne Latroci-
ni.*

XXXIV. Indicia *FLIRTI, RAPINÆ, LATROCINII,*
quæ in his tribus speciebus ferè sunt æqualia, sequentia ha-
bentur. Si quis pedes equesve palam in cauponas frequen-
tius diversans passim discursaret, inque loca minus tuta ex-
currat, gulæ largius indulget, nec tamen de stipendiis,
negotiationibus, annuisve censibus, ex quibus honestè vi-
tam toleret, sumtuumque onus sustineat, docere possit art.
39. & 43. *Conf. Crim.* Si furto fractis seris facto, delatus
tempore & loco ad furtum opportuno visus, vel à suis
domi desideratus sit: isve claves adulterinas & effractoria
eiusmodi instrumenta habere convictus fuerit art. 41. §. 2.
& art. 159. *C. C.* Si parvis opibus prædictus subito opes o-
stentet, harumque causas non edere possit, & ejusdem si-
gni nummos expendat, qui erant subtracti Zanger c. 2. n. 179.
Si quis fures vel prædones suis impensis alat, sciens res sub-
tractas clam possideat, occultet, vendat art. 40. *Conf. Crim.*

Dam-

Damhoud. c. 110. n. 2. Si denique res rapta aut furto ablativa penes aliquem reperta, & ille legitimum possessionis titulum edere aut dominum indicare non possit art. 38. & 43
Conf. Crim. L. 2. C de Furt.

XXXV. Exindè resultat quæstio, an quis edere teneatur titulum possessionis, ut à se avertat suspicionem hujus criminis? negativam svaldet, quod nemo edere debeat titulum suæ possessionis L. fin. C de R.V.L. Cogi. n. de Pet. Hered. at? An quis titulum possessorum sibi demonstaretur debet? quia quivis possessor, eo quod possidet, præsumptionem justæ possessionis pro se habet, & adversarius ad contrarium probandum obligatus est. Verum hic si non de honestate, attamen de necessitate possessor rei surreptæ titulum edere teneatur, quia à transeunte & ignoto se emisse, dicere non convenit, volenti evitare alienam beno viro suspicionem L. Civile. s C. de Furt. art. 38. & 43. Conf. Crim. Nisi possessor sit integræ famæ, aut res inventa sit quidem in aliquibus ædibus, sed non in possessione ipsius, sic ibi fortior præsumtio bonæ famæ elidit debiliorem, quæ ex re inventa exorta, hic verò constat potuisse illam rem à fatulis vel aliis ibi locatam fuisse Magnif. Dn. Hoppe Comment. Infl. L. 4. tit. 1. §. 4. Oldekop Tit. 4 O. 27.

XXXVI. Sufficient verò hæc de principalioribus indiciis frequentiorum criminum tractasse. Plura adducere propositum non permittit, nec id necessarium est, cum ad similitudinem propositorum de aliis ex facto se offerentibus an ad torturam sufficient, judicari & ex Autoribus citatis satis dignosci possit. Hoc dicendum restat, quodlibet indicium testibus duobus omni exceptione majoribus probandum esse. Unius testis testimonium non sufficit, quia tortura, sive condemnatio, sive absolutio sequatur, res magni momenti est, & neutrum illorum ad unius hominis depositionem, aut aliam semiplenam probationem temere decer-

decerni potest L. 1. §. 23. ff. de Quest. art. 23. & 30. Conſt. Crim. Quid si ſint Carpz. d. 4. n. 18. Carer. Pract. Crim. tit. de Indic. §. viii ergo singularares n. 2. Sed nec tamen ſemper hic duo testes ſufficiunt, ſi eſſes. nempe illi ſint singularares testes & deponant de diversis fa-ctis, quia nullibi singularares testes plenam fidem merentur L. 21. in f. ff. de Testib. c. 32. X. de Elec̄t. Nili illi ſuper indiciis ſe mutuo adjuvantibus & ad eundem finem proximè ten-dentibus testimonium dixerint, veluti quod unus viderit ingredi ſuspectum in domum ubi cædes facta, alter cum gladio evaginato egredi Tabor de Indic. & Tort. ad art. 23. §. 5. Farinac. Pr. Crim. qu. 37. n. 38.

CAPUT II.

De Remediis purgandi Innocentiam ſuspectam.

I.

Ad purgan- **H**actenus indiciis contra ſe militantibns ſuspectus non
dans Inno- potest omni ex parte innocentis dici, ſed innocentia
centiam qui- ſua dubia eſt, hinc opus ut illam liberet, & iſtas ſu-
vis admitt- ſpicio[n]es competentibus remediis evertat. Everticulum
seendus. iſtiuſmodi nemini denegari potest, ne quidem illi, de quo
apparet, justam ſe defendendi cauſam nullam ſubeffe, quia
defenſio juris naturalis eſt L. 3. ff. de Juſt. & Jure Hyppol.
de Marſil. Pr. Crim. §. quoniam n. 31. ſeq. Wefenb. in Praſila.
ff. tit. de Accuſat. n. 12. aded ut à Principe nemini auferri
L. 3. §. 7. ff. de Re milit. L. 7. C. de Jure Fisc. Lib. 10. Clem. Pa-
ſtoralis de Re jud. & nec bestiis, nedum homini, in dō nec
diabolo, ſi quam haberet, denegari poſſit L. 1. §. 11. ff. Si
Quadrup. paup. feciſſe dic. L. 4. 5. 45. §. 4. ff. ad. LAquil. Farinac.
qu. 99. n. 50.

Etiā alius **II.** Patet ejus favor uſque aded, ut ea non ſolum illi
quicunque ipſi, qui ſuspectus, prout dictum liceat, ſed etiam parenti
pro ſuſpecto. ejus

ejus competat, si filii sui, maximè fugientis & absentis innocentiam docere velit Theodoric. *Judic. Crim. cap. 9. aph. 9. n. 29. Carpz. qv. 115. n. 6.* Possunt eundem defendere cognati ejus, qui propterea audiendi, quod publicè intersit innocentium causas defendi *L. 33. §. 2. ff. de Procurat.* & hinc quoque cognatorum, qui liti sese alterius nomine offerre possunt *L. 1. §. ult. ff. de Postul. L. 35. pr. ff. de Procurat. art. 47. Conf. Crim.* Quin imò extraneo cuivis permittitur, alterius, etiam perire festinantis, innocentiam detegere ac deducere *L. Non tantus 6. ff. de Appell.* Et si nemo alias *Eti pse judec* adest, ipse judex ex officio, quamvis reus id non petat, eum *ut eam do.* defendere, publicosque sumtus, si hos ipse suspectus vel ejus *ceat laborare debet.* cognati facere nequeunt, suppeditare debet, ne innocens & indefensus condemnetur *L. Si non defendatur 19 ff de Pœn. L. 1. ff. de Quest. Avth. Qui semel C. Quomodo & quand. jud. c. 24. §. debet. igitur X. de Accusat. art. 47. Conf. Crim.* Efflagitat à judice id pieratis & necessitatis ratio, quia usu venire solet, ut rusticiores vel plus justo meticolosi, utpote adolescentes, mulierculæ &c. innocentiae suæ satis peritè patrocinari, eamque pro magnitudine periculi, vivis rationibus velut ad oculum demonstrare nequeant, unde ad illum pertinet habere rationem, ne sine causa pereant *d. art. 47. B. Brun-* nem. *Proc. Inquis. c. 8. M. 3. n. 11. Ziegler Dicab. Concl. 31. §. 7.*

III. Incidit tamen dubium, quæ ratione suspecti defen- *Dubium cir-*
sio expediri posit, qui, quo innocentiam suam prætendar, *ca proban-*
delictum & factum negat, negantis verò per rerum natu- *dam inno-*
ram nulla esse potest *Probatio L. Affirratio 10. C. de non num.* *centiam re-*
pec? ut hunc obicem tollamus, opus est distinguere, inter facti *solvitur,*
negationem simplicem & inter illam, quæ sit cum quadam
qualitate, si niempē suspectus dixerit se idem, quod fecit, jure
fecisse. Priori casu certum est, probationem directò nullam si-
eri posse, sed eo non obstante fieri tamen potest per obliquum,

si nempe probaturus aliquid alleget, quod cum contrario facto simul stare non potest, utpote si incusatus cædis Calendis Martiis Romæ commissæ, alleget se eo die in alio loco fuisse, hic ejus quod allegavit probationem facere tenetur, qui à hac peractâ evincitur, non potuisse eo die Romæ cædem committere Ant. Matth. de Crimin. Lib. 48. Tit. 15. c. 7. n. 1. Franciscus Herculanus de Probanda Negativa n. 2. Posteriori casu res omni dubio caret, quod reus, ejus quod rectè fecisse statuit, testibus vel aliis modis directam probationem facere queat.

*Offenditur
Innocentie
esse faciliter
quam
accusatori secundus terminus dilationis planè fatalis est, nec
bationem.*

IV. Quo dubio summoto, inferimus: longè faciliterem esse innocentie quam criminis probationem. Constat enim, accusatori ad accusandum non nisi duas dilationes concedi, reo ad se defendendum tres L. ult. ff. de Fer. Accusatori secundus terminus dilationis planè fatalis est, nec amplius post illum ad crimen probandum admittitur. Reus & post terminum dilationis, & post conclusionem in causa, ac post sententiam, imò quandocunque demonstraturus innocentiam auditur L. 1. §. 27. L. 18. §. 9. Quæst. L. 27. ff. de Pen. Crimen non probatur nisi per testes duos, qui omni exceptione majores; innocentia etiam probari potest per testim unum & minus idoneum, ut infra apparet. Accusatori causâ cognitâ abolitio conceditur, & veniam omissendi accusationem L. 10. C. ad SCr. Turpill. L. 2. C. de Abolit. reo suæ defensioni nunquam renunciare licet, nec volenti perire conceditur L. 6. ff. de Appell. L. 13 ff. ad L. Aquil. Quarum diversitatum est immota ratio, quod jura priora ad liberandum, quam ad condemnandum, si quidem satius putatum, nocentem absolví, quam innocentem condemnari L. Absentem s. ff. de Pen. L. Arrianus 47. ff. de Q. & A. L. 38. ff. de Re judic. L. 125. ff. de R. J.

V. Ita-

V. Itaque innocentiam suam deducturus petere po^t. In q^{ui}isito vel test, ut judex copiam sibi faciat indiciorum contra se pro- ejus advocatorum. Eam si non petierit, ipse judex offerre debet, to Copie in- ne vel ex rusticitate vel contumacia eveniat condemnari ab. dicionm, solvendum c. s. X. de Except. 6. 24. §. Debet igitur X. de Ac- cusat. Sanè si judex querere debet de Innocentia reorum L. 19. ff. de Puen., consequens est, eundem copiam indiciorum reis etiam non flagitantibus dare oportere Zanger de Quast. c. 3. n. 2. Tholosan Syntagm. Jur. Univ. L. 48. c. 12. n. 21. de Rhetz. Medic. Instit. Diff. 31. pos. 8. Qua occasione oboritur dubium, utrum sufficiat judicem in loco judicij ipsi suspecto vel ejus advoco exhibuisse ad perlegendum indicia, an verò ille debeat etiam ad domum Advocato ea concedere? Prius affirmat Carpz. qu. 115.. n. 99. segg. quod in descriptione actorum multum temporis consumatur, hocq; ipso processus criminalis contra naturam suam pro- crastinetur, quodque advocati varias fraudes contra talia instrumenta excogitare possint, modo ut à pœna liberent suspectum etiam nocentem. Verum huic obloquitur & posteriorem sententiam defendit Oldekop. Tit. 4. O. 2. & Decade 1. quv. 1. quia, nisi dentur ad domum & tantum in judicio perlegenda concedantur suspecti advoco, is per horam unam atque alteram, omnia momenta tam exactè attendere & observare non potest, quæ tamen defen- sionis inquisiti necessitas postulat. Videtur interim utramq; sententiam optimè conciliari posse, si dicatur, expedire hoc casu, ut judex per Norarium attestata bis describi curet, & alterum exemplum sibi retineat, alterum verò inquisito tradat, temporis autem jactura in tam gravi casu nulla atten- denda B. Brunnem. de Proc. Inquis. c. 8. M. 6. n. 28.

VI. Agamus nunc de modis innocentiam purgandi, ^{Præsumtio-}
primumque de Præsumtionibus, quibus non raro contrariae pur-
gationes ^{nibus Inno-}
^{centia pur-}
D 2 ^{præ- gatur.}

præsumptiones eliduntur L. 7. ff. de in integr. refit. Magnum innocentia patrocinium præberet, à bonis parentibus natum esse, in scholis & Academiis à probis & doctis magistris institutum. Patrocinatur eidem virtus integritas & virtus antea laudabiliter actæ testimonium. Cum enim delicta atrocia & nefanda non soleant committere, nisi homines deploratissimi & sceleratissimi, haberi pro tali nequit, qui hactenus probè vixit. Innocentia præsumitur à qualitate officii, si grave & honestum illud sit, & suspectus operam fidelem ei impenderit. Si suspectus à pedibus auxilium petere potuisse, & tamen non aufugerit, sed sua sponte vel citatus Iubens se judici præstiterit, quia de tali non præsumendum est, quod carnem suam odio habeat in eo, ubi manifestum prævidet periculum, & quæ sunt alia quæ pro diversitate delictorum alicujus innocentiam præse ferunt, de quibus vid. Cothmann. V. 3. Refp. 29. n. 415. seqq. Menoch. L. 5. præsumt. 48. n. 10. seqq.

*Quibus refit.
bus probetur
Innocentia.*

VII. Porro probaturus, testes pecunia esse corruptos examen illorum nullitate laborare, se provocatum deliquesce, vulnus non fuisse lethale & similia, quibus innocentiam suam prætendit Crus. P. 4. c. 33. Carpz. qu. 115. n. 41. testes adducere potest, vel reproducere eos qui contra se produci. Debent verò hi testes ad articulos defensionales æquè jurati esse, ac illi qui primum produci ad inquisitiones articulos, non obstante, quod iidem sint, qui super defensionalibus producuntur. Prius enim juramentum præstitum eos ulteriori non obligat, quam ut veritatem dicant ad articulos inquisitiones Carpz. d. l. n. 80. A reliqua qualitate testimoniū favore defensionis liberius hic receditur, nam admittuntur etiam testes pro suspecto de credulitate, si causam doceant credulitatis suæ. Admittuntur testes inhabiles, ut mater, filius, frater aliisque consanguinei suspecti, eorumque depo-

depositioni, si alii testes crimini non interfuerunt, creditur. Unius etiam testis depositio sufficiens est ad probandam innocentiam, & semiplena probatio hoc casu pro plena & sufficienti habetur Carpz. d. l. n. 75. Zanger de Quæst. c. 3. n. 24. Carer. Prætz. Crim. Tit. de Indicis §. Viso igitur Mascard. de Probat. V. 2 Concl. 904. u. 1.

VIII. Hanc innocentia sus defensionem suspectus Fieri potest suscipere potest quovis tempore, prius quoque quam re. Innocentie spondit ad articulos inquisitionales, si velit docere crimen probatio o- tale non esse, propter quod inquisitio contra honestam mni tempore personam formari poscit, non verò si velit innocentiam suam probare, ut à pena ordinaria liberetur. Hic enim prius ad articulos inquisitionales respondendum erit, siquidem talis responsio inquisiti est instar L. C. à qua judicium incipit L. un. C. de lit. Cont. & quæ inquisito nullum causatur præjudicium Carpz. qu. 115. n. 23. Bruun. d. l. n. 15. Defendere se potest post latam quoque sententiam, quippe quia irreparabile damnum continet, non transit in rem judicatam L. 18. §. 9. ff. de Question. Gail. 1. O. 307. n. 11. Et si ad deductionem innocentiae admissus nihil probaverit, ac denud se offerat ad probandam innocentiam, hoc ipsi denegari nequit, si fundamentum novum, quod speciem veritatis vel probabilitatis habet, pro se allegaverit Brun. d. l. n. 17. Imò planè postquam jam confessus est delictum, exinde quod confessio spe impunitatis facta, quod facta coram incompetente judge, vel quod ea non absoluta sed cum aliqua qualitate conjuncta fuit, qui innocentiam vult probare audiendus erit. Non enim hic de glande legenda aut lana caprina agitur, sed de vita & salute hominis, ob quam ne pereat ille, cautè agendum, nec quicquam omittendum, quod ad innocentiae præsidium facere potest Carpz. qu. 115. n. 30. Schilter Prax. Jur. Rom. Exerc. ad ff. 49. §. 109.

Judicis est IX. Indiciis itaque gravantibus & excusantibus utrinque ad que in medium prolati, judicis est accuratè causas & raditas proportiones illorum expendere & decernere, num suspectus ad bationes ex versantes conjecturas vicerit ac superaverit. Id si factum pendere.

conjecturis hisce nullus omnino effectus tribui poterit, quia per fortiores præsumtiones omnes elisæ sunt art. 28. *Conse. Crim.* Quin & si argumenta in utramque partem paria sunt, vel saltem excusantia in aliquo debiliora, pro reo pronuntiandum esse communiter Interpretes volunt Cothman. *V. 3 R. 29. n. 435.* Farinac. *q.v. 38. n. 110* Boer. *Decis. 165. n. 10.* Quod si verò tanta causarum istarum pugna sit, ut judex proprio marte dijudicare nequeat, cuius partis rationes præponderent, sed dubius & fluctuans ejus constituatur animus, Jureconsultos consulere deberet, qui in materia conjecturarum atque indiciorum dijudicandorum exercitati sunt, eorumq[ue] sententiam tunc sequi tenetur d. art. 28. Brunn. c. 8, Memb. 4.

*Anjuramentum
et innocentia
purgari
possit?*

X. Juramento quoque purgationis ianocentiam, quæ in animo consistit, purgari, & indicia dilui posse, dicitur in *L. 6. §. 4. ff. de his qui not. inf. L. 18. inf. C. cod. L. 13. §. 2 ff.* de Jurejur c. f. X. de Purg. canon. Sed probè notant Dd hunc modum purgandi saltem obtinere si pena corporis afflictiva non immineat, ne omnino ac simpliciter suspectus absolvatur. Non obtinere, si illa immineat vel indicia sufficientia adsint ad torturam. Pro hisce enim avertendis non est sufficiens remedium juramentum, dum præsentissimum concurrit perjurii periculum, quod malit suspectus pejerare, quam vitæ suæ dispendium incurtere Jul. Clar. *Lib. 5. §. fin. Pract. Crim. q. 63. n. 4.* Berlich. *P. I. Cardus. 52. n. 1.* *Indicia non g.* Struv. *S. f. C. Ex. 17. th. 45. & Ex. 49. th. 98.* Meier in Coll. inserunt pre Argent. Tit. de Jurej. §. 13. Ex quibus omnibus haut difficultum est patet, indicia qualiacunque contra suspectum fuerint, & de jure, non

non tamen inducere præsumptionem juris & de jure, quia omnia admittunt probationem in contrarium.

XI. Econtrario si ex comparatione & utriusque partis *Tortura* ~~me-~~
allegatorum collatione appareat, causas suspicionis majoris esse momenti, quād causas excusationis, unum adhuc *gandi innocentiam*.
superest remedium illas purgandi, sed durum & violentum,
ipfa scilicet *Tortura*, cui suspectus subjicitur. Cum enim Judex penè convictus sit indiciis prolatis, ut credat suspectum reum esse maleficit, & tamen is in negando persistat, verū evertendis indiciis rationem non adducat, majori violentia adigendus est, ut vel cedendo doloribus fateatur, vel superando eos manifestet innocentiam art. 28. *Conf. Crim.* Verū quanto gravior modus hic purgandi innocentiam est cæteris, in quo se merè passivè habet suspectus, tanto cautius circa illum judici versandum erit.

XII. Non sufficit itaque indicia adesse, ob quæ quis *Tortura sine torqueri* potest, sed res quoque postulat, ut indicia torturam præcedant; sin minus utroque casu nihil efficit illa, *previis indiciis est nullus effectus.*
& in hoc ultimo ne quidem, utut tortus crimen fas-sus fuerit art. 20. *Conf. Crim.* Illius siquidem ratio est, quod tortura sit corporis afflictiva neque leve præjudicium afferens, ac hinc non nisi ex gravi causa decernenda L. 1. §. 2. *Luli ff. de Quest. Farinac. qv. 37.* Hujus, quod actus contra legis prohibitionem gestus, ipso jure nullus sit L. 5. C. de LL. c. 64. *de R. f. in 6.* hinc sine omni effectu ac perinde, quasi tortura non adhibita fuisset L. 1. §. 2. ff. *Quod quisque jur. in al. stat.* Menoch. *de A. f. Q. L. 1. qv. 84. n. 4.* Quantumvis tamen non adē indulgendum suspectis ut planè absolvantur, sed quia ex novis indiciis legitimè probatis novus actus incipit, validus is quoque estimatur tanquam ex nova causa §. 9. cap. 3. Propterea si ex novis istiusmodi indiciis

indiciis tortus crimen fassus sit, omnino condemnandus erit, Judex interim iniquè torto ad reparationem injuriæ, dolorum, sumptuum, ac damnorum tenetur §. 18. cap. seq.

Nee sine illâ sufficiens de Judices agant, qui de uno delicto confessum, interrogant alio crimine etiam sine ullis præviis indicis super alio, inverecundè cau-interrogari santes hat er das gethan / so hat er wohl mehr gethan / id aut torquunt enim expresse d. art. 20. prohibitum Carpz. qu. 113. n. 25. potest.

XIII. Apparet exinde quam imperite ac petulanter judicem, qui de uno delicto ad torturam condemnatum ulterius questioni subjiciendum jubet ob alia quidem, sed qualiacunq; indicia novum aliquod delictum indicantia. Ut enim tortura locum habeat, conjunctum hæc tria requiruntur, ut indicia præcedant legitima, ut illa legitimè sint probata, & ut ad elidendum & defendendum inquisito ante torturam communicata, nec tamen ab illo elisa. Non potest non igitur tortura illegitimè esse decreta, quam præcedunt modo levia, ac perfundatoria indicia, & quæ pro cuiuslibet inaniter assumpta sapientia ex proprio cerebro judicantur sufficientia. Neque exinde majora estimari possunt, quod præcesserint alia sufficientia aliud præcedens delictum inferentia, quæ ab illis nihil mutuant, sed per se satis firma esse debent, aut cum aliis sui generis conjunctum valida Barbosa in Thesauro loc. commun. L. 18. c. 23. Oldekop. Tr. contra Carpz. Decad. 2. qu. 8.

Aniequam differunt ne sufficit eadem præcedere, verum ut hæc locum habere est constare de corpore defuncti h. e. de facto ipso seu criminis substantia existente L. 1. §. 24. ff. de Sct. Silan. L. 1. C. Ubi cause Fiscales. De hoc nisi constet judici, ad torturam procedere nequit, licet adsint vehe-

vehementissima indicia, aut ipse suspectus fateatur crimen L. 1. §. ult. ff. de Quæst. Ineptum enim esset, quærere de circumstantiis delicti, puta personis, loco, tempore, antequam constaret de ipso delicto L. 16. §. 1. ff. de Pœnis nara in tormentis non amplius quærendum est de facto, sed ejus qualitatibus aut circumstantiis, igitur de eo tanquam substantia, in qua qualitas fundatur, constare prius omnino necesse est. Schilter c. l. §. 165. Simon van Leeuven Cœnsura Forensi P. 2. L. 2. c. 8. n. 10. Möller Semeistr. l. 3. c. 40. n. 1. Crus. de Indic. P. 4. c. 37. n. 17.

XV. Sunt verò delicta alia facti permanentis & alia facti transeuntis. Illa sunt quæ post se relinquunt vestigia, ex quibus constat quod commissa sint, qualia sunt homicidium, ^{Quæstuplex} ^{si corpus de} furtum, falsa moneta, incendium & similia, ac ibi si adest corpus imperfectum, species pecuniae ablatae aut adulteratae, instrumenta ad incendium apta, liquidè constat de corpore delicti. Hæc post se vestigium nullum relinquent, sed corpus delicti interunt gravia indicia, ob quæ judex torturam decernere potest. Ex horum genere sunt adulterium, Incestus, Sodomia, stuprum, & interdum magia ac similia Carpz. P. 3. qv. 108. n. 36. Brunn. Proc. Inqv. c. 7. n. 6. Theodor. Judic. Crim. c. 9. apb. 9. n. 4. Zanger. Præm. n. 13. vid. Rhetz. Med. Inst. D. 31. pos. 7. Cum tamen nonnunquam etiam delicta facti permanentis habeantur pro occultis & delictis facti transeuntis, puta si homo occisus & projectus in mare, si mulier de fornicatione suspecta & antehac cum ventre intumescente, postea in profluentem aquam aliquid nocturno tempore projecisse visâ, etiam hæc indicia judicem informabunt de corpore delicti, ita ut ad torturam sufficientia judicare possit, licet aliam facti evidentiam aliundè habere nequeat Carpz. d. l. n. 18. Brunn. d. l. n. 9. Leeuwen. d. l. §. in notoriis. Interim quomodo porrò judex habere possit corpus delicti,

per varias criminum species docet Farinac. *Prax. Crim. L. 1.*

Tit. 1. qu. 2.

Ut tortura XVI. Id quoque necesse est, quando per torturam in procedat de innocentia purganda, ut crimen sit atrox, cuius causa est libum debet quæstio habenda. Hinc constat Ddum. axioma: Quo sum quod paties delictum non meretur poenam corporis afflictivam, nam corporis toties tortura non decernenda. Quiaremedium inquirendi afflictivam non debet gravius esse, quam est ipsa poena; quod tamen mereatur. foret, si torturâ corpus affligeretur, quod affligi non debet Barbosa *Thesaur. Loc. commun. Lib. 18. c. 23. n. 2.* Carer. *Præcl. Crim. Tit. de Tortura S. Circa secundum Aut. Matth. de Crim. L. 48. Tit. 16. c. 3. n. 1.* Jodoc. Damhouder *Pr. Cr. cap. 35. n. 4.* Jul. Clar. *Sentent. lib. 5. §. fin. Præcl. Crim. qu. 64. n. 4.* Farinac. *d. l. qu. 42. n. 3.* Mantz. *ad art. 6. Conf. Crim. n. 16.* Unde sua sponte fluit, nequaquam purgationem pertorturam admitti posse, si delictum poenâ pecuniariâ expiari possit, aut ea non extendi ultra relegationem vel saltem id per carcerem coerceri Farinac. *d. l. n. 9. seqq.* Huber. in *Præcl. Jur. Rom. tit. de quaest. §. 2.* Carpz. *qu. 119. n. 11.*

An locutus iste XVII. Ob poenam fustigationis imminentem an possit ubi fustigatio tortura dictari videmus controverti. Negativam sententiam defendit Magnif. Dn. Schilter *Prax. Jur. Rom. in For. Germ. Exerc. ad ff. 49. §. 167. seq.* quod fustigatio sit poena criminis levioris, & tortura longè durior ipsa fustigatione, ac manuum quoque abscissione gravior Nov. 131. c. fin. Verum pace summi Jcti placet inhærere regulæ præcedenti § propositæ, atque ad species poenarum corpus afflagentium referre quoque fustigationem, & ob illam imminentem torturæ locum tribuere. Præterquam enim, quod sit in aprico fustigationem corpus graviter affligere, admodum incerta est distinctio Dd. inter levia & atrocia delicta, ut patet ex Carpz. *qu. 119. n. 5.* Theodoric. *Indic. Crim. cap. 9. aph.*

aph. 9. n. 11, ut ad judicem certiorandum præster statuisse, illa esse atrocia delicta, pro quibus poena mortis vel corporis afflictiva imponitur. Neque sanè tortura gravior poterit videri ipsa fustigatione, si supponamus judicem, prout fieri debet §. 19. b. c. in casu imminentis fustigationis, non ad summum torturæ gradum procedere. Et si effectum fustigationis, quæ ex moribus conjuncta cum perpetua relegatione, respiciamus, idem est ex communi Dd. sententia, qui apud Romanos deportationis, quæ mortis civilis species est §. 2. *J. Quib. mod. patr. pot. solv. L. 2. §. 1. ff. de Pæn.* Cæterum veremur ut sit verborum d. N. 134. c. fin. commoda interpretatio de tortura, ut non potius membrorum dissolutio totalem illorum à corpore abscissionem significet vid. *Praemial. §. 8.* Consentit præter citatos à Dn. Schiltero. Brunnem. Proc. Inquis. c. 8. M. s. n. 21.

XVIII. Denique cum planè extraordinarius & subsidiarius modus probandi innocentiam sit tortura, tum de-
mum ad eum deveniendum erit, si veritas aliter haberinon posit L. 8. ff. de *Question.* Tabor. d. Tr. c. 4. §. 11. Si enim suspectus legitimè convictus aut confessus sit delictum, supervacua erit alia convincendi ratio, & judex illum sine tormentis condemnare debet L. 16. C. de Pæn. art. 16. & 69. *Conf. Crim.* sufficitque ad condemnationem alterutrum horum, ut vel confessus sit delictum vel de eo convictus Damhouder c. 33. n. 3. Ant. Faber ad *Cod.* L. 9. tit. 21. Farinac. qu. 38. n. 4. Joh. à Sande L. 5. tit. 9. def. 14. Struv. Ex. 49. th. 97. Carpz. qu. 114. n. 2.

XIX. Sin nihil reliquum est, quo posset suspectus liberari, competens *Judex qui criminale habet jurisdictionem in-* terloquendo pronuntiat, reum evuleo esse imponendum *Judex in de-* cernenda tor-
tura huma- num se debet *quest. c. 4. n. 2.* Simon van Leeuwen c. L. n. 14. Determinat
E 2
hac

hac sententiā modum, quo exequenda tortura, nempe an infimo, medio, an summo gradu illa sit applicanda. Ubi habenda ratio personarum torquendarum, an sint robustæ, debiles, viles an verd in aliqua dignitate. Et indiciorum maximè inspicienda qualitas, sintne valdè urgentia, an leviora. Unde dicitur in L. 10. § 3. ff. de Quæst. Tortmenta adhibenda esse, non quanta accusator postulat, sed ut moderatæ rationis temperamenta desiderant art. 58. Conf. Crim. Zanger d. l. n. 10. Theodoric, Judic. Crim. cap. 9. aph. 11. n. 2. Neque inconsueta tormenti genera adhibenda, aut crudeliora excogitanda, quam quæ in illo loco solita. Nihil enim atrocius est, ac ab omni jure & ratione magis ab horrendis, quam sub veritatis eruendæ prætextu horrendis modis corpus hominis dilaniare, & ad ea quæ nunquam patravit, nunquam dixit aut cogitavit, confitenda eum adigere. Qui id facit potius carnificis, quam judicis partes agit Svarez in Annot. ad Anton. Gomez. lib. 3. Resol. 13. lit. c. Jul. Clar. qv. 64. n. 36. Farinac. qv. 38. n. 55. seqq. Oldekop Tit. 4. O. 39. Cruf. P. 4. qv. 38. n. 27. seq. Hinc non vituperanda est tortura vigiliarum, vel quæ pectine expeditur in plantis pedum.

A sententia XX. Cum verd sententia hæc contineat irreparabile torturam di-damnum, nam verbis satisfieri non potest ei, cui re injuria fante appellata, ob legitimas causas quas prætexit reus, appellare aflare licet. ea ei licet L. 6. ff. de Appell. L. 2. C. Quor. appell. non recip. Brunnen. c. 8. M. 5. n. 39. Matth. L. 48. Tit. 16 c. 4. n. 6. Oldekop Tr. contra Carpz. de Appell. Habet autem hæc appellatio hunc effectum, quod etsi tantum interposita, quamvis nondum inhibitio à judge ad quem sit impetrata, tamen judge à quo à tortura abstinere debeat, minimeque sententiam suam exequi. Quod si verd illa per appellacionem non suspensa, sed abierit in rem judicatam, judge exequi eandem,

eandem, ac non tantum suspectum torturæ instrumentis terrire sed eo adhuc negante tormenta adhibere potest, & ita explorare an reus sit criminis, de quo suspectus arguebatur Zanger. d. l. n. 4. & 5.

XXI. Eo fatente in ipsâ torturâ, nondum poterit judex ad definitivam sententiam procedere, sed, ne videatur ex nimio dolore confessus, opus est ut secunda vel tertia die factam in tortura confessionem ratificet, hacque sua ratificatione sponte delictum fateatur art. 56. *Confl. Crim. da.* *Quando su-*
per eodem *crimine tor-*
tura repeten-
Clar. qv. 64. n. 40. Usu verò evenire solet, quod tortus omnem suam confessionem tunc revocet, ac prætendat se exquisitissimis doloribus tormentorum ad fatendum fuisse compulsum, seque plus fassurum fuisse, si de pluribus fuisset interrogatus, interim tamen se innocentissimum esse. Is si nullam innocentia moventem rationem adducat, & tamen priora indicia adhuc urgentissimè contra illum militent, secunda vice torquetur. Rursus autem confitens, sed postea non ratificans, & omnem iterum confessionem revocans, tertium torturæ subjicitur, non donec priorem confessionem ratificet, sed ad usque tempus, quod à judice religioso determinatum fuit, quia ista variatio de novo suspectum gravat, efficitque ne priora indicia purgata, neve illa tortura pro tortura habeatur art. 57. *Confl. Crim. Brunn.*
d. l. n. 84. seq. *Farinac. qv. 38. n. 58.* *Petr. Greg Tholosan.*
Syntagm. Jur. Univ. L. 48. c. 12. n. 26. *Boer. Decis. 163. n. 19.*
seq. Ne tamen ultra duas vices tortura repetatur, nam qui ter revocat confessus, non tam criminis conscientia confessus videtur, quam doloris impatientia, hinc evitanda infinitas maximè in actu tam odioso & præjudiciali Gomez. L. 3. Var. Resol cap. 13. n. 24.

Caput III.

De Ipsa Innocentia per torturam purgata.

I.

*Tortura esse.
Eius*

Xtremus quidem modus veritatem eliciendi est Tortura,
Eius tamen, ut in ea persistens negando, vel non
persistens fatendo, quicquid dixerit puram veritatem
dixisse presumatur ut & judex ei habere fidem debeat L. 1. §. 23.
& 25. ff. de Quest. Hinc Cicero in Topicis ad Trebatium; Verbe-
ribus torti, & igne fatigati, que dicunt, ea videtur veritas ipsa
dicere, & que à perturbationibus animi sunt, dolore cupidita-
te, iracundia, metu, quia necessitatis vim habent, afferunt au-
toritatem & fidem. Hæc ut paulo clarius constent, ex-
aminanda nunc erunt, in primis an ex hisce dictis in con-
tentem nullæ alii partes, quam condemnatio, & in ne-
gantem pura & simplex absolutio supersit.

*Admittuntur
contra illam
exceptiones*

II. Notamus verò non usque ad eò confessionem in
contra illam tortura factam obstare confidenti, ut non amplius audiatur
legitimis probationibus suam innocentiam deducturus.
Qui exceptionibus contra confessionem sub tortura factam
vult declinare condemnationem, sine gravi peccato non
potest rejici, quod, dum de sanguine humano effundendo
hic agitur, nullum tempus peremptorium esse queat, quo
is ab iniquo interitu adhuc liberari potest. Felin, in c. Con-

Quenam sanguinei X. de Re jud. n. 7. Habere verò potest tortus va-
posint oppo- rias exceptiones, quibus factam confessionem suam destru-
zii?

it. Inter illas sunt, si proferat incompetentem judicem
processisse contra illum, nam judicatum dici nequit ab
eo, qui judicandi potestate non habuit L. 1. §. fin. ff. ad
SCTum Tertull. L. 2. §. f. ff. de Pæn. L. 1. §. 2. ff. Quod quisque
jur. in al. stat. & coram incompetente judice facta confes-
sio, non nisi extrajudicialis actus est, qui indicium
solum-

solummodo non verò sententiam gignit Aretin. *Cors. 26.*
Jul. Clar. qu. ss. n. 3. Eliditur confessio, si sine indicis
 tortura fuit habita, etiam si illa sèpius ratificata, Carer.
Pr. Crim. Tit. de Tortura §. circa quartum n. 2. supra c. 2. §. 12.
 Eadem eliditur, si habita tortura & corpus delicti non ap-
 paruit Distinctione tamen opus, ut si delictum perma-
 nens, hoc quod ita dictum obtineat, si verò fuerit trans-
 uns sufficiat, si partis querela concurrat, ista confessio ad
 condemnationem Clar. d. l. n. 10. & 11. Sic idem tortus
 contra confessionem excipere potest, quod non nisi limitato
 & certo respectu protulerit verba confessionis suæ,
 eadem verò pro certis & puris accepta fuisse. Ista enim
 non nisi limitatum assensum producere possunt, eaque ceu
 dubia non nisi in benigniorem partem explicari *L. 103. ff. de*
R. J. Crus. de Indic. P. 4. c. 34. Zanger de Quæst. c. 5. n. 18.
seqq.

III. Hoc modo si tortus avertat condemnationem, *Differentia*
 apparet ille innocens, superestque sententia absolutoria, *inter legitimi-*
Longè aliter in eo, qui factam confessionem sine causa ^{mē excipiendam} *revocat tempore, quo ratificanda erat. Hic denud equum revocare*
leo imponitur, quod priora indicia non purgaverit, sed
longius mendacio sese oneraverit. Art. 37. Const. Crim. Tan-
tumque si tertium revocat, absolvitur, aut sub cautione de
sistendo dimittitur §. ult. cap. preced. Farinac. qu. 38. n. 96.
seqq. Huber. Praelect. Jur. Tit. de quæst. n. 9. In quo tamen
 maxima cautione opus est, ne in defectu peccetur, & alii
 quoque iudici contingat quod Mediolanensi cuidam accidit, qui
 furem celebrem sub tormentis fatentem & extra ea revo-
 cantem, tandem se expectorantem audire coactus: quod
 millies torqueri maluerit in brachiis, quam semel in gula,
 quæ sibi sanari non posset *Hyppol. de Marfil. ad L. Repetit.*
ff. de Question.

IV. Si

Torto con- IV. Si tortus patientia vicerit tormenta & constans
stancer no. in negando perfisterit, indicia quæ contra ipsum milica-
gante pur bant, purgavit hactenus Jul. Clar. qu. 46. n. 10. Boer. Decis.
gantur indi- 103. n. 16. Bertazol. Consil. 307 n. 1 lib. 2. Tholosan. d. l.
cia.

n. 26. Non tamen per transennam inspici possunt verba,
 quæ habet JCtus in L. 1. §. 33. ff. de Quæst. Quæstiōnē fidem
 Consideratio non semper, nec tamen nunquam habendam constitutionibus de-
 L. 1. §. 23. claratur, etenim res est fragilis & periculosa, & que veritatem
 ff. de Quæst. fallat. Nam plerique patientia sive duriā tormentorum ita tor-
 menta contemnunt, ut exprimi eis veritas nullo modo posse, alii tanta sunt impatientia, ut quodvis mentiri quam pati tor-
 menta velint, ita sit, ut etiam vario modo fateantur ut non
 tantum se, verū etiam alios committentur. Summa illorum,
 quæ & in d. L. §. 25 profertur est: non usquequaque negati-
 oni torti credendum esse, sed despiciendum quantum fidei
 ei possit haberī. Hinc ponderabit Judex, quibus ex causis
 tortura fuerit decreta, fuerintne solum præsumptiones com-
 munes an plus quam semiplenæ probationes, an vero istæ
 fuerint plenæ probationes, utpote si suspectus crimen abs-
 que tormentis confessus, postea confessionem revocans,
 errorem autem confessionis nullo modo probans, quæsti-
 oni subjectus & is constanter delictum negaverit. Ex hisce
 enim omnibus Judex arbitrabitur quomodo contra tortum
 procedere debeat Menoch. de A. f. Q. L. 2. Cent. 3 Cas. 273.

An sine omni V. Etenim si plenis probationibus convictus &
pœna Tortus vel in dicto casu, vel illo ubi plenè convictus de facto
dimittendus, à Judice tortus, & iste negando tormenta superaverit, non iudicabit tunc absolendum eum esse, sed ad extraordinariam
 pœnam condemnare debet illum Farinac. qu. 40. n. 11. seqq.
 Fachin. lib. 2 Controv. cap. 6. Carpz. qu. 125. n. 24. Äque
 ad hanc pœnam condemnabit cum, qui plus quam semi-
 plenè convictus, cum ferè convictus ex contemptu tor-
 mentorum

mentorum videatur negare, & hinc dignus, ne omnem poenam eludat, ut aliquam poenam sentiat Simon van Leeuwen §, l. c. 9, n. 8. Cris. P. 1, c. 60, n. 16. Quod si verò aliquis tortus ex ordinariis indicis & constanter delictum diffusus sit, absolvendus ille erit. Movet illum absolvit, quod tormenta ad eruendam veritatem dicantur efficacissima L. 8 ff. de Quæst. Non potest verò hæc efficacia aliundè estimari, quam ex eo, quod plerumque nocentes veritatem fateri soleant, innocentes verò negare, unde illud, quod ut plurimum accidit secundum erit. Accedit quoddì indicis saltem aliquis delatus erat de crimine, post quæ si tamen veritas de eo haberri non potest, nec poterit ex illis condemnari L. Absentem s. ff. de Pæn. Fæchin. L. i. Controv. c. 33. Boer. Decis. 163. n. 9. Damhoud. Prax. Crim. cap. 40.

VI. Pariter non planè absolvit, qui ad effugienda tormenta statim sub auspicio illorum fassus est delictum, post punendum modum verò ex loco torturæ ad ratificandam confessio- nem reductus rursus revocavit confessionem, ne eludat hoc commento tormenta. Dictum enim supra, quod tortura se- mel adhibita ultra secundam vicem ob revocatam confessio- nem non repetatur, & ita non ultra tertium infligatur §. ult. c. præced. hinc qui hoc modo inconstanter confessus, non quidem ad ordinariam poenam condemnandus, ut sentit Huber. d. l. s. 9. cum tortura res fragilis sit, & confessionis istius modi ratificatio desideretur art. 56. Cons. Crim. tamen nec planè absolvendus erit, sed ad poenam relegationis, aut carceris vel aliam extraordinariam condemnandum eum censemus. Carpz. qv. I 26. n. 54.

VII. Dubium verò est, an reus qui criminis indicia per torturam purgavit absolvit debeat saltem ab instantia seu ju- dicii observatione, ut iisdem vel similibus de novo emergentibus indicis se iterum sistat judici, de eodem crimen rursus definitive absolvendus?

Proponitur prior sententia. torqueatur ac tandem planè condemnetur, an verò simpliciter & definitivè, nulla super eodem crimine repetita accusacione vel inquisitione? Prior sententia placet Hardwig à Dassel. *Respons. Jur. n. 25 seq.* Zangero de Quæst. c. 5. n. 2. Mynsing. *Cent. 5. O. 12.* quia iniquum fore hominem dubiæ innocentiaz, si repetatur, præscriptione rei judicatae se rueri *L. 51. ff. ad L. Aquil.* Nam quemadmodum non damnandus reus, si actor crimen non probat, ita nec absolvendus à criminè, si non probavit innocentiam. Provocatur ab illis *ad L. 34. C. ad L. Jul. de Aduls.* ubi qui consanguinitatis obtenuit crimen adulterii depulerant seu absoluti fuerant, postea ob nuptias cum persona suspecta contractas, tamen revocati & nova quæstio de illis instituta.

Proponitur posterior sententia. VIII. Posterior sententia defenditur, quod in omni casu accusatore non probante reus absolvendus *L. 4. C. de Edendo.* In specie verò in *L. ult. ff. de Calumniat de servo afferatur,* eum tortum, quod negaverat, fuisse absolutum, *absolvere* verò ad definitivam sententiam pertinere tum ex *L. 3. C. de Sentent.* & interlocutus probetur, tum exinde quod tortus statim in *d. L. ff. de calumnia accusatoris queri & dominus servi in duplum agere* potuerit, quod fieri non potuisset, si ab instantia tortus saltem absolutus fuisset. Liquidò evincitur hæc sententia ex *L. 11. C. de Accusat.* quod quoties reus absolvitur, auctore crimen non probante, absolvatur ille à crimine non ab instantia duntaxat. Ab hac enim tantum liberare durum & inhumanum esset, dum sententiam absolutus semper de salute sua incertus & anxius inter spem & metum pendere cogebatur *Carpz. qu. 125. n. 11. A. Matth. L. 48. Tit. 16. cap. 4. n. 16.*

Eaque hinc probatur & sententiaz fundamenta, ita nos moti cum illis posteriorem sententiam defendere nil quicquam dubitamus. Nihil nobis con-

contrariatur, iniquum esse hominem dubiæ innocentiaæ autoritate rei judicatæ defendi. Falsum enim hic, eum qui tormenta patientiâ superavit hominem esse dubiæ innocentiaæ, quin potius, quia indicia purgavit, certam reddidit innocentiam suam. Est nempe tortura species probationis & efficacissima ad eruendam veritatem, *L. 8. ff. de Quæst. Carpz. qv. 138. n. 29.* quæ, quod innocens sit, post illam exantlatam sufficienter constat. Nec firmat priorem sententiam allegata *L. 34.* nam non erat ante matrimonium, quod movebatur de suspecto, sufficiens indicium, de quo cognoscere potuisset judex, demum post matrimonium emergit illud, judicemq; movet, ut dignoscat poenâ plectendus an absolvendus suspectus.

X. Sunt quoque qui in hoc negotio medium sententiæ adstruunt, ut ex natura indiciorum, & in quantum Judex de delicto persclusus, modò à crimine, modò ab instantia saltem tortum hominem absolvat *Huber d. l. §. 8.* Verùm ob eadem indicia constanter negantem rursus eqvuleo impone-re, atque ita post passam torturam saltem ab instantia libera-re, ratio humanitatis & juris non patitur. Sanè ob nova in-dicia, quæ à prioribus genere & substantia differunt, & per se ad torturam sufficiunt, tām inquisitio quām tortura repetiti potest, quia nova qualitas crimen prius alterat *L. 12. ff. de Quæst. rei jud.* & favor commodi publici, quod delicta non debeant manere impunita *L. 51. §. 2. ff. ad L. Aquil.* irregu-laritatem nonnunquam admittit. *Carpz. qv. 25. n. 42.* Ol-dekop. *Tit. 4. O. 44.* Carer. Pr. Crim. *Tit de Tortura §. Circa sextum n. 9.* Farinac. *qv. 38. n. 72. seqq.* Imò & tunc, quando novus accusator dolorem suum prosequi & docere vult, quod ignoraverit accusationem ab alio fuisse institutam, vel impeditus fuerit, quod temporius non egerit, vel prævaricatione prioris accusatoris reus absolutus sit, à regu-

*Adducuntur
quorundam
media sen-
tentia.*

*Quo casu ob
idem crimen
quis denno
torqueripos-
sit?*

la: quod nemo ob eandem causam denuò accusari possit, receditur. L. 7. S. 2. ff de Accusat. L. 3. S. 1. ff. de Prevar. L. 4. S. ult. ff. ad Leg. Jul. de Adult.

Absolutus ad

Urphedam & sumpium quandoque tenetur.

XI. Interim definitivè absolutus Urphedam præstare tenetur, quæ est cautio, quâ, qui ab omni judiciali provocatiōne liberatur, jurat, se non ulturum, quod à judice intuitu præsentis negotii passus est Carpz. qv. 125. n. 14. Zanger. d. l. n. 2. Condemnatur idem ad impensas judiciales in sui gratiam factas, deq; victu & alimentis ex sua facultate tenetur, si cæterum possit hæc onera ferre. Sinon & admodum pauper sit, pro re nata vel accusator vel judex ad illa tenetur art. 61.

Causa hujus Infortunii:

Conſt. Crim. Carpz. qv. 138. n. 20. Crus. de Indic. P. 4. 6. 47. Neque est quod de his omnibus innocens conqueratur. Ei fatis respondet Carolus V. in d. art. 61. verbis: Denn die bdsen erfundene Anzeigung haben der geschehenen Frag entschuldigte Ursach geben. Denn man sol sich nach der Sag der Rechten nicht allein vor Vollbringung der Ubelthat/ sondern auch vor aller Gestaltnuß des Ubelns/ so bdsen Leumuth oder Anzeigen der Missethat machen / hüten / und wer das nicht thut/ der wird deshalb gemeldter / seiner Beschwerd selbst Ursache seyn. Quod enim indicis ansam dederit, fax & faber est infortunii sui & omnis sui mali, unde & damnum quod ita sentit non videtur sentire L. 23. ff de R. J. add. Sver. in vita Jul. Cef. c. 74. & Dio Cassius Lib. 45.

Quid sit innocentia per torturam purgata.

XII. Cæterum ab omni suspicione liber est, nullæ amplius in illum accusatori, nullæ judici ob idem crimen sunt partes. Ejus affatim propalescit innocentia, quæ hoc loco est: criminis imputati exoneratio seque per tormenta in pristinum statum vindicatio. Constat de virtute integritate scelerisque puritate. Jurium post torturam omnium, quæ habuit ante inquisitionem, æquè capax est, & manet dignum societatis membrum. Quorum omnium hæc generalis est ratio, quod

quod convinci non potuit delicti, ob quod aliquam maculam vel jurium imminutionem incurtere posset.

XIII. Hanc torti integratatem exprimit & toto capite exhibet Jodocus Damhouder. *Prax Rer. Crim. cap. 40.* verbis, quæ non piget huc transferre, sequentibus: *Si Reus inquit, in tormento singula constanter negaverit, nulla q[uod] interrogatorum fateri voluerit, reducitur tum iterum ad carcerem. Ubi decem, viginti aut triginta diebus, ampliusq[ue], aut minus pro iudicis prudentia servatur, an forsan alia nova indicia aliunde sint eventura. Quæ si non delata fuerint è carcere, & ex omnibus vinculis liberatur, pristinæq[ue] libertati, quâ ante capturam fruebatur, restituitur & dimittitur, quousq[ue] b. e. donec denuo in iudicium accersatur: sine ampliori & plenaria absolutione atq[ue] ita receptum est fieri in practica. Nam ex jure plenè absolvendus erit, quod per exactam torturam ab omnibus iudiciis & suspicionibus sarcis sit purgatus.*

XIV. Operæ pretium erit ut hæc enucleatus proponamus. Non est infamia. Dum ergo innocentem pronunciavimus illum, qui constanter vel ter circa ratificationem negavit delictum, etiam illud sequitur, neque infamia neq[ue] ulla turpi macula illum aspersum dici posse Struv. *S. J. Civ. Ex. 7. th. 21.* Sententia enim absolutus ille, & innocentia sua publicata, quare nihil in illo est, quod infamaret eum, factus verò fustium & ita quoque tortura non infamat, sed causa. *L. factus fustium 22. ff. de His qui not. infam.* Et licet tortura non sine gravibus iudiciis dictetur, ob quæ opinio apud graves viros imminui solet Bruna. *ad L. 14. C. Ex quib. caus. infam. irrog. n s.* attendendum tamen quam tortus ansam his iudicis suppeditaverit, ne innocentissimus quisque citra omnem causam prolapsus in hæc indicia poenam aliquam sentiat.

XV. Retinet talis iuria civitatis & omnia beneficia, quæ competunt civib[us] & incolis, licet non planè absolutus, sed ob gravitatem

Tortus innocens ad omnina prisca iuris ad minendum.

Retinet omnia iura civitatis.

tatem indiciorum vel quendam excessum relegatione forte aut multa punitus sic arg. L. 4. §. f. L. 5 ff. de his qui not. inf. Inde excludi non potest à Collegiis Opificum. Et perversa mechanicorum opinio est, fugere tortum, eumque à sodalito sociorum alienum velle. Unde in Scabinatu Jenensi M.

Excludi non potest à Col. legio Opificum.

Julio 1640. Tutori responsum fuit: Ist euch ein schwerer Inquisition Proces in puncto eines entleibten Schufnichts / Jobst Kirchners/ bey euch zu Salfeld über den Hals zu gezogen worden/ und ihr seyd vermeidige des eingeholten Urtheils/ erßlich mit Darweisung des Scharffrichters Instrumenten in der Güte examiniret/ hernach von demselbigen zimlichen angegriffen/ gebunden und auf die Leiter gelegt/ und nach dem einer Unschuld nicht allein erhället/ und die wider Euch freitende indicia und præsumptiones dadurch purgiret/ sondern auch 100 Gulden Straffe/ an statt der euch zu erkandten Landes Verweisung/ so wol 50 Gulden Untosten erlegen/ von der ordentlichen Straffe der muthwilligen Todschläger absolviret worden. Wann nun gleich die Obrigkeit gemeltes Urtheil an Euch/ wie ihr berichtet/ vollstrecken lassen/ so seyd ihr jedoch bey so gestalten Sachen/ wegen der erlittenen Tortur nicht infamis worden/ sondern auch euer Schuster Handwerk ins künftige zu treiben/ ehrliche Gesellen zu fördern/ Jungen zu lehren/ und in der Meister Zusammenkunft zu gehen bezugt V. R. W. Similiter Scabini Magdeburg. M. Jul. 1543. Senatui Hallensi responderunt: Ob gleich ermelter A. B. wegen beschuldigter Unzucht captiviret/ torqueret und endlich mit Gefängniß auff 14. tage bestraft worden. Weil aber durch die Tortur, die wieder ihn militirende indicia purgiret/ und die ihm zuerkandte 14. tägige Gefängniß/ saltem propter excessum, welcher nicht in dolo sed culpa bestanden/ und also an sich selbst nicht infamiret/ damals dictiret/ und förder durch Urtheil und Recht absolviret. So mag er auch das

daher an dem gesuchten Bürger und Meister Recht nicht gehindert werden; sondern ist darzu billig zu lassen V. N. W. Richter. P. 2. Dec. 80. n. 30. seq. Dn. Adrian Beier. de Collectionis Opific. cap. 5. n. 478. seq. & cap. 21. n. 1685.

XVI. Cum verò beneficia civitatis retineat, etiam salva *Gaudet jure ipsi* manent jura commerciorum, quæ vel obligando vel dis*Commercio-*
solvendo exerceri possunt. Cujuscunque ergo contractus *rum,*
sit species, rectè à torturam passo celebratur, quia contrahere
de genere permissionis est, quod in torto non reperitur pro-
hibitum arg L. 1. §. 3. ff. de Paci. L. 6. C. de Revoc. donat. Quod
si circa commercia in aliquo loco speciale jus obtineat, ab
ejus usurpatione nec tortum arcendum putamus. Unde
quando hic Gedani in der Wechsel-Ordnung der Stadt
Danzig currente A. 1701, publicata art. 24. cauteum, So
ist auch kein Acceptant befugt einen Wechselbrief vor der rech-
ten Verfallzeit an den Præsentantem oder Einhaber zubez-
zahlen/ wenn es auch gleich ein prima von ihm acceptirter
Wechselbrief wäre/ und er sich der Zeit halber in Decurti-
rung oder interesse einen Vortheil machen könnte. &c. & ite-
rum art. 35. Ubrigens sollen bey denen fallimenten Auslän-
dische so wol/ als Einheimische/ in concursum admittiret
werden/ und gleich den hiesigen ihr ratum bekommen/ es sey
denn/ daß an andren Orten mit den hiesigen anders ge-
halten würde &c. horum statutorum compotem quoque
tortum censemus arg. art. 38. d. Ordinat.

XVII. Gaudet idem Jure Testamentorum, ex quo ipsi
competit testamenti factio tam activa quam passiva. Unde
ob illam testamentum condere, in illo pro arbitrio suo di-
sponere, heredesq; primi & secundi gradus scribere potest Li-
beros itidem ibi instituere, vel si meruerint ob ingratitudi-
nem exheredare, nec non legata, fidei commissa aut alia quæ-
vis ultimæ voluntatis capitula ibi relinquere. Ex testamen-
to vi-

*Ei Testamen-
torum.*

to vicissim heres ille esse, lucrum & omnem obventionem sibi reliquam acquirere potest, nec meruendum habet, in his sibi tanquam incapaci scriptum heredem vel successorem ab intestato prælatum iri tot. tit. ff. de His que pro non script. aut sibi tanquam indigo Fiscum hoc lucrum ablatutum esse tot. tit ff. de His quæ ut indigo aufer. A parentibus vel liberis inique exclusus quærelam inofficioi testamenti habet §. i. J. L. 14. & 15. ff de Inoff. Testament. & ab intestato succedit, quoties ob propinquitatem sanguinis Lex immediate hereditatem sibi defert. Nov. 118.

Habet actionem injuria- XVIII. Ita tortus in judicio actionum exercendarum quoque capax est. Non dubium ergo, quin si ab alio sibi in opprobrium objecta sit tortura, contra illum actionem ini-*nem contra rium qui tor-* sum qui tor-*juriarum habeat arg.* L. 5. C. de injur. Harprecht. ad §. 1. *turam sibi J. d. t. n. 62 Meier. Coll. Argent. tit. de Injur. §. 5. n. 13.* Ludov. Gilhausen in Comment. de Injur. & famos. libell. §. 5. n. 133. A qua objictem liberare non potest, quod tamen verum illud sit, quod ipsi torto opposuit, quia omne id injuria, quod infamandi causa in alicujus contumeliam factum est. L. i. §. 4. & segg. L. 3. §. 1. L. 7. §. 6. ff. L. 9. & 10. C. de Injur. quod inultum manere non potest. Et hæc injuria tanto gravior est, quod turpe factum refriceret jam sopitum per torturam, inque eo innocentiam ejus faciat dubiam, qui juxta Innocentium III. in pace dimittendus potius, quam rurus inquietandus e. fin. X. de Purg. Canon.

Quenam ei XIX. Maximè contra judicem actiones habet, qui vel imperitè sine præviis indiciis, vel ultra humanum modum competant a. torquere illum jussit. Et competit ipsi injuriarum actio *comptit a. g. 34. & 41. L. 32. ff. de Injur.* L. 15 §. 34. & 41. L. 32. ff. de Injur. quia realis eaque non levis *g. 34. & 41. L. 32. ff. de Injur.* injuria per torturam ipsi illata est. §. 9. J. de Injur. Competit utilis actio Legis Aquilæ L. 13. ff. ad L. Aquil. ad sumptus incurationem vel alimenta factos, ad estimationem opera-*g. 34. & 41. L. 32. ff. de Injur.* rum

rum quibus tortus caruit, cariturusque est L. 3. ff. Si Quadr. pauper, fecisse dic, ad reparationem dolorum exantlatorum quorum nomine actionem suam intendit daß er wolle nicht so viel hundert Thaler nehmen und dergleichen Schmerzen an seinem Leibe ausstehen arg. L. un. C. de Ingrat. liber Competit remedium de Syndicatu L. un. C. Ut omnes judices tam civiles Tabor de Tort. & Indic. delict. ad art. 20. Conf. Crim. §. 9. seq. Dn. de Rhetz. Medit. Inst. Dissert. 31. pos. 6. & remedium ex L. Jul. de vi publica quia, cum in eam Legem incidit, qui civem contra jus & fas verberavit, eo magis qui equuleo imposuit arg. L. 7. ff. ad L. Jul. de vi publ. A Matth. de Crim. L. 48. Tit. 16. c. 5. §. 2. Et has omnes actiones non obstante Urpheda tutò instituere potest, nec ab ea relaxatione opus habet, si modo vi & violentia abstinuit art. 20. Conf. Crim. conf. Zepperus de Urpheda.

XX. Quibus omnibus minimè contrarium est respon. Ref. ad ob. st. sum Jcti, quo judicem circa officium suum occupatum ab L. 13. §. 1. & injuriis liberum pronuntiat in L. 13. §. 1. & 6. ff. de Injur. 6. ff. de In. Procedit nempe hoc, si debitè functus suo munere & nullum in eo excessum commiserit arg. L. 13. ff. de Pæn. hic enim, quod tot actiones contra eum in casu nostro competunt, unicè attenditur. Audiat itaque Judex consilium, quo evitet omnes illas, si in torquendo medium tenere non possit, ut magis in proindece, defectu quam excessu deviet A Matth. d. l. c. 4. n. 9.

XXI. Notatu verò dignum est, non annalem esse actio-
nem injuriarum propter injustam torturam, sed perpetuam.
Ob injuriamenim tam gravem actio ex L. Cornelia compe-
tit. L. 7. §. 6. L. 37. ff. de Injur. quæ quia civilis, etiam perpetua
est. L. 5. ff. eod pr. f. de Perpet. & temp. act. Carpz. Pr. Cr. qu.
127. n. 21. C. P. 4. C. 46. D. 5. Laborandum verò erit actori
huic ut probet torturam tanquam fundamentum intentio-
nis suæ, quod fieri poterit per testes, qui cum dolore vocife-
rare

*Modi pro-rare audiverunt eum, cuius vocem notā habebant, per famam,
bandi tortus per consocios rei & incarceratos, per stigmata & ligaturas in
pedibus vel brachiis apparentes & alias istiusmodi præsum-
tiones, quæ admittuntur hic, quod tortura, quæ ut pluri-
mum in angulo peragitur, difficilis probationis sit. Farinac. qv.
83. n. 27. seqq. Mascard de Prob. Vol. 3. Concl. 1384.*

*An aliquo si. XXII. Utrum verd ad significandum hunc effectum requi-
guo ad decla- ratur aliqua solennitas, ut, sicut inter milites ferri mos & ob-
andum hunc servantia, si rejecti rursus in cohortem recipiendi, ut gratia
effectum o. signo vexillorum scilicet agitatione wenn das Fahnelein über
pus sit?*

XXII. Utrum verd ad significandum hunc effectum requi-
guo ad decla- ratur aliqua solennitas, ut, sicut inter milites ferri mos & ob-
andum hunc servantia, si rejecti rursus in cohortem recipiendi, ut gratia
effectum o. signo vexillorum scilicet agitatione wenn das Fahnelein über
pus sit?
ste geschwungenen restituantur, ita & pari symbolo tortus in pri-
orem statum reducatur, coronidis loco evolvere lubet?
Putamus verd, nisi velit aliud Jus particulare, nullo horum
solennium hic opus esse, quia sententia absolutoria satis signi-
ficanter exprimit, huic torto existimatione vel alio jure, quo
utus est antea, nihil deceperisse. Sententia enim propter autori-
tatem judiciorum veritatem continet L. 207. ff. de R. §. L. 25. ff.
de Statu hom. L. 14. ff. de Fure Patronat L. 3. ff. de Agnoſe. vel ab.
lib. L. 55. ff. de Rejud. quæ hoc loco est innocentia probata
indeque pendens judicati status. De his autem si constet
ex illa, quid opus est aliis testimonii?

S. D. G.

COROLLARIA.

- I. Innocentiam absolutam non indicat extrema ad Tribunal Jesu Chri-
sti Provocatio, nec impedit executionem sententia.
- II. Neque rupro laqueo aut fracto gladio in executione delinquentis
Innocentia detegitur, qui nihilominus morte puniri potest.
- III. Facta conspiratione contra occisum omnes eius rei capitaliter pu-
niendi sunt, licet quidam non percusserint.
- IV. Malé libi vindicat Carnifex stans ad Cadaver Propriocidæ, quicquid
ille sursum ac deorsum in circumferentia gladio suo attingere
potest.

06 (0) 50



99 A 6958



WAP Retour

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green


Cyan

Blue

Inches

Centimetres

Farbkarte #13



34.
12

B. C. D.
DISPUTATIO JURIDICA
DE
INNOCENTIA
PER TORTURAM
PURGATA,
Quam
SUB PRÆSIDIO
Viri Nobilissimi, Consultissimi, Excellentissimi
DN. SAMUELIS FRIDERICI
WIESENBERG/
J. U. D. Ejusdem ac Historiar. Prof. Publ.
& Athenæi Inspectoris,
FAUTORIS AC MODERATORIS STUDIORUM
SUORUM COLENDI,
In Auditorio Maximo
A. M. D. CCI. d. I. Decembr.
Publico Eruditorum Examini submittit
JOH. GEORGIUS SCHRADERUS, Gedan.

G E D A N I,
Typis JOHANNIS-ZACHARIAE STOLLII,
ATHEN. TYPOGR.

